INSTITUTIONES
JURIS CANONICI

Poitiers. — Typographie de A. Dupré.

INSTITUTIONES
JURIS CANONICI

QUAS IN SCHOLIS

PONT. SEM. ROM. ET COLL. URBANI

TRADIDIT

Clarissimus professor DE CAMILLIS.

TOMUS TERTIUS.

De judiciis.
De statu externo Ecclesiæ.

PARISIIS
APUD LUDOVICUM VIVÈS, BIBLIOPOLAM EDITOREM
Via vulgo dicta Delambre, 9

1868

INSTITUTIONES JURIS CANONICI.

PARS TERTIA.

DE JUDICIIS (1).

Spectata hactenus interna Ecclesiæ structura quoad *personas* et *res*, remanet ut *de judiciis* eloquamur, et sic integra tractatio de interno societatis ecclesiasticæ statu absolvetur. Sed ordo judiciarius tres principaliores continet partes, nempe : 1° principium seu *initium* litis, 2° *medium*, et denique 3° *finem* processus judiciarii : inde hanc tertiam partem libri primi in tres titulos partimur.

TITULUS PRIMUS.

DE LITIS INITIO.

Antequam in litem quis eat, tria spectare debet, nempe : 1° quo judicio contendere velit; 2° coram quo judice ; 3° quo genere actionis. In tria ergo capita hunc titulum dividimus, quorum *primum* erit de natura et

(1) De judiciis non disseruit clar. prof. de Camillis, sed totam hanc tractationem ad auditiones annis seqq. obeundas remisit; verum partem illam supplere, quam Institutionibus canonicis operam navantes prætermittere nequeunt, utile putavimus. Totam hanc disputationem, debito quidem ordine post Reiffenstuel et Schmalzgrüeber dispositam, et a nobis in breve coactam, de celebri Synopsi Pirhingiana in scholis omnibus notissima, ut classicos libro, decerpsimus.

varietate judiciorum, *secundum* de judice competente, et *tertium* de modo componendi libellum seu proponendi actionem.

CAPUT PRIMUM.

DE JUDICIO.

§ I. DE JUDICIIS IN GENERE, ET PERSONIS QUÆ STARE POSSUNT IN JUDICIO.

I. Quid et quotuplex sit judicium? Judicium est legitima rei controversæ apud judicem inter litigantes tractatio, seu disceptatio, et dijudicatio, litis finiendæ gratia : ad quod tres principales personæ ordinarie requiruntur : judex, actor et reus. Judex est persona quæ publica auctoritate judicio præest, ab eo, quod jus dicat, sive rem controversam secundum juris præscriptum definiat, judex appellatus. Actor ab agendo dicitur, estque is qui actionem proponit, et prior ad judicium provocat, ac in actionibus criminalibus accusator dicitur. Reus denique est, qui ab actore provocatur, seu in jus vocatur, ita dictus non a reatu semper, sed a re, de qua disceptatur, et est controversia. Sicuti autem actoris vicem supplere nonnunquam potest magistratus, si procedat per formam inquisitionis, v. g. ob famam præcedentem, ita reus de præsenti non debet semper esse certus.

Interveniunt autem plerumque etiam aliæ personæ in judicio, quæ tamen minus principales, et accessorie tantum ad principales se habent, quales sunt assessores, consiliarii, notarii, advocati, testes, etc. Variæ autem sunt judiciorum divisiones :

Prima desumitur ex diversitate judicantium, ita ut illud cui præest judex ecclesiasticus, judicium ecclesiasticum dicatur, et cui præest judex sæcularis, judicium sæculare. Illud subdividitur in spirituale et tem-

porale : spirituale est, quando lis de re aliqua spirituali, aut spirituali annexa est, de matrimonio, v. g., decimis, beneficiis, etc. Temporale est, quando lis movetur de re temporali et profana, de fundo, v. g., pecunia, etc., inter personas tamen ecclesiasticas.

Secunda divisio desumitur ex diversitate materiæ, juxta quam diversitatem aliud est judicium petitorium, in quo movetur quæstio de proprietate rei, seu dominio, aut quasi dominio, aut jure, ad quem ea pertineant; aliud est judicium possessorium, in quo movetur quæstio de possessione rei, sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda.

Tertia divisio ex diversa forma quæ in judicio adhibetur, aut juxta quam proceditur, desumitur; et hinc aliud judicium plenarium, ordinarium, et solemne dicitur, in quo scil. omnes juris solemnitates ad judicium spectantes, et de jure requisitæ, adhibentur, citatio, v. g., libelli oblatio, litis contestatio, juramentum calumniæ, etc.; aliud est summarium, sive extraordinarium, in quo non tam ad formam juris solemnem, et sæpius accidentaliter tantum ad causam decidendam requisitam, attenditur, quam ad essentialia et substantialia judicii, sine strepitu quidem, ac forma solemni judicii, sed inspecta sola rei veritate proceditur.

Quarta denique divisio (ut omittam alias, vel mere civiles aut alias faciles) desumitur ex diversitate finis, quem judicium tale intendit; sic dicitur aliud civile, in quo de causa civili agitur, mutuo, v. g., emptione, aut ex alio contractu civili, etc.; aliud dicitur criminale, in quo de delictis agitur, de furto, v. g., homicidio, sacrilegio, hæresi, etc., et si agitur ad publicam vindictam, ad pœnam corporalem, v. g., aut pecuniariam fisco applicandam, dicitur criminale judicium criminaliter agi; si vero agatur ad pœnam privato

applicandam, sive ad interesse privatum, dicitur criminale judicium civiliter tractari; ita tamen ut quod participat de utroque, mixtum judicium dicatur, quinimo sæpius duplex actio pœnalis injuriam passo competit, civilis una, quæ tendit ad pœnam actori applicandam; altera criminalis, quæ tendit ad publicam vindictam, ac optio datur injuriam passo, quam velit actionem instituere, ita tamen ut una earum electa, altera ipso jure tollatur (cum utraque pœnalis sit), nisi sit re tantum persecutoria, quæ per nullam actionem mere pœnalem tollitur.

II. Quinam in judicio agere, vel conveniri possint, vel non possint? Qui personam legitimam standi in judicio habent, ii agere, et conveniri possunt, in genere loquendo. In specie vero, primo certum est, quod pupillus sine tutoris auctoritate, nec agere, nec conveniri in judicio possit. Secundo certum est de jure communi, quod minor 25 annis legitimam personam standi in judicio non habeat, nisi ei curator, saltem ad litem, datus sit (ob judicium scilicet nondum ad lites satis maturum), nisi minor talis, qui vigesimum tamen annum jam implevit, veniam ætatis impetraverit, agendi in judicio etiam sine curatore; aut si 14 annum implevit, et agat, vel conveniatur in causis beneficialibus, aut aliis spiritualibus, vel his annexis (quamvis impuberes, neque in his causis sine tutore agere possint, puberes tamen in hujus modi causis censentur esse majores), aut agat tantum minor 25 annis in possessorio, de recuperanda, vel obtinenda possessione.

De filio-familias, quamvis major sit 25 annis, quod suo nomine, et in causa propria, etiam quoad bona adventitia (sive pater usumfructum in illis habeat, sive non), regulariter et ordinarie in judicio agere, aut respondere sine assensu parentis non possit, constat (cum

in his omnibus consensus patris requiratur ad integrandam personam filii), nisi alieno nomine, ut procurator, v. g., stet in judicio, vel lis sit de bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, vel pater longius absit, qui procuratorem non relinquerit; aut inutili patre ad res suas curandas agere velit; vel in præparatoriis tantum judicii ante litis contestationem versetur, vel causæ sint beneficiales, spirituales, vel his annexæ, in quibus nec jus, nec administratio ad patrem pertinet.

Mulieres denique saltem honestæ, quod invitæ ad judicem trahi personaliter non possint, ex causa quacunque de jure non expressa, possint vero, si velint, in causis saltem civilibus, in judicio per se stare, nisi sint feminæ religiosæ, præsertim quæ sub clausura vivunt, quæ, nec vocari, nec admitti debent. De aliis quibus de jure civili interdictum est stare in judicio, videantur jura civilia.

III. Utrum excommunicatus possit stare in judicio? Agere quidem non potest excommunicatus majore excommunicatione, sive per se, sive per aliud, sive civiliter, sive criminaliter agere velit (nisi in causa suæ excommunicationis, aut nisi toleratus sit, et nec a judice, nec a parte repellatur); conveniri tamen potest ut reus, ne ex malitia sua fructum habeat, et saltem per alium in judicio velit respondere.

Quod si vero de bono publico Ecclesiæ ageretur, vel ad animæ periculum devitandum, excommunicato comparendum esset, vel ob reum, v. g., fugitivum periculum esset in mora, vel si ad præmissa sibi facienda impediretur excommunicatus, posset etiam in judicio agere, aut contra actorem etiam excommunicatum excipere, vel compensationem in pari causa objicere, quia in talibus casibus magis videtur se defendere, quod concessum illi est, quam agere; et quamvis in

causis minus arduis cogi possit ad defendendum se per procuratorem, in arduis tamen causis ad hoc cogi non potest, sed per se causam suam defendere permittitur, ne afflicto nova addatur afflictio, et minus fidelem cum magno suo incommodo habeat sui defensorem.

IV. Partes ordinarie cogi a judice non possunt, quamvis hic sit a Summo Pontifice delegatus, ut personaliter in judicio compareant, nisi causa rationabilis aliud jubeat; et hinc compelli possunt ad personaliter comparendum : primo in causis criminalibus criminaliter intentatis; secundo ad præstandum juramentum de veritate dicenda; tertio ad juramentum calumniæ præstandum; quarto in aliis etiam casibus, in quibus ipsa principalis statum in communi magis perspectum habet, et ubi ex qualitate personæ colligi pro causæ decisione aliquid debet; et quinto denique si speciale delegatus a Papa aliquod mandatum habeat, ad partes principales specialiter inquirendas.

Factum tamen ipsum ordinarie personæ principales per se ipsas, et non per advocatos proponere debent (nisi sint personæ valde simplices, et indiscretæ, ut earum defectus a judice supplendus sit), quia meliorem notitiam facti habere censentur principales, quam advocati, quamvis his non prohibeatur assistere illis in facto tali proponendo, et in expediendis illis, quæ in jure consistunt, in libello scilicet formando, in interrogatoriis, et articulis probatorialibus.

§ II. DE CAUSIS QUAS JUDICARE POTEST JUDEX TUM SÆCULARIS, TUM ECCLESIASTICUS

V. An judex sæcularis tractare et cognoscere possit causas ecclesiasticas? Causarum ecclesiasticarum aliæ sunt mere ac proprie spirituales, quæ proprie spectant ad prælatorum ecclesiasticorum regimen, uti sunt causæ

beneficiales, decimales, matrimoniales, etc.; aliæ sunt causæ mere temporales, causæ, v. g., contractuum, instrumentorum, etc.; de illis res talis certa est, quod laici causas ecclesiasticas cognoscere non possint, etiam in casu negligentium ecclesiasticorum, neque propria auctoritate, neque ex commissione prælatorum ecclesiasticorum, excepta plenitudine potestatis principalis, per quam laico etiam tales causæ committi possunt; cum laicos potius maneat obsequendi necessitas in ordine ad Ecclesiam, quam imperandi auctoritas.

Et quamvis negotia mere temporalia ecclesiarum, et personarum ecclesiasticarum etiam laici tractare possint (si scilicet ecclesiarum œconomi sede, v. g., vacante constituantur), per hoc tamen nulla illis in clericos præeminentia, gubernatio, aut potestas confertur; neque tamen possunt auctoritate propria causas judiciales pecuniarias, seu mere civiles, quæ inter personas ecclesiasticas aut ecclesias, vel contra tales moventur, cognoscere et judicare.

Quamvis hoc facere possint ex commissione, seu delegatione prælati ecclesiastici, saltem in casu aliquo particulari, cum talis delegatio non sit contra jus commune, et laicus in tali casu magis utatur jurisdictione ecclesiastica delegantis (semper tamen quando laicis jurisdictio negatur in clericorum causas judicandas auctoritate propria, excipiuntur causæ feudales, quas dominus feudi, sive laicus hic sit, sive ecclesiasticus, dijudicare potest).

Causas vero criminales clericorum, nec propria auctoritate tanquam judex ordinarius, nec ex commissione inferioris prælati, non obstante quavis contraria consuetudine, judicare potest laicus (hoc enim cederet in grave opprobrium cleri); nudum tamen

ministerium aliquod circa clericos, v. g., capiendos, aut alias executiones aliquas faciendas, etc., committi etiam laico potest : prout etiam admitti potest laicus, ad causas has dijudicandas, ut assessor, consiliarius, notarius, etc., cum hæc talia nullam jurisdictionem importent.

VI. De causis quas tractare et cognoscere potest judex ecclesiasticus. Judex ecclesiasticus cujuscunque dignitatis sit, non potest, qua talis, directe et ordinarie causas mere civiles, vel etiam criminales, quæ ad magistratum laicum pertinent, judicare, ad non confundendas et perturbandas jurisdictiones, quod sine injustitia fieri non potest. Nisi crimina mixti fori essent, ubi daretur etiam præventioni locus, aut per viam denuntiationis evangelicæ procedendum esset, circa peccatum mortale subditi jurisdictioni ecclesiasticæ.

Possunt tamen ex commissione principis sæcularis causas etiam profanas inter laicos judicare, et in casu negligentium magistratuum civilium, cum jurisdictio etiam circa sæcularia absolute negata non sit ecclesiasticis personis, sicuti laicis negata est jurisdictio circa causas spirituales, et personas ecclesiasticas, etc.

VII. An aliquis possit esse judex, sive ecclesiasticus, sive sæcularis, et judicare in causa propria? Quamvis ob plenitudinem potestatis, et præsumptionem æquitatis supremi principes in causis propriis, quæ ipsos inter et eorum subditos moventur, vel de injuriis sibi illatis judices esse possint, consultius tamen et æquitati naturali conformius constituet princeps talis in talibus causis arbitros, aut judices alios, qui jus dicant, quod etiam hodie passim practicatur.

Inferior tamen supremo principe judex nunquam in propria causa judex esse potest, aut jus sibi di-

cere. Cum judex quasi media persona ad dirimendam litem inter actorem et reum ordinario esse debeat, nisi factum, seu injuria judici facta notoria sit, ut vi juris certam pœnam statuentis, quoad publicam vindictam, sine alio processu puniri possit nocens, cum in tali casu non tam ut judex, quam ut juris executor procedere censeatur; aut nisi episcopus, v. g., in causa ad suam ecclesiam principaliter spectante judicet, quo in casu, si non recusetur, valide pronuntiabit; aut nisi judex in casu, quo rationabiliter dubitatur, an sua sit jurisdictio, cognoscat, ac judicet suam esse jurisdictionem, cum in tali casu non tam in propriam utilitatem directe judicet, quod prohibitum est, dum prohibetur, ne quis in sua causa judex esse possit, quam ob bonum commune, ut ordinario suo officio fungi possit : ita tamen, ut si contra talem judicem excipiatur, quod inhabilis, v. g., ad judicandum sit, ad superiorem recurri debeat, de tali enim exceptione, aut recusatione non potest inferior judex, cui hæc inhabilitas objicitur, judicare.

§ III. — DE ACTIS JUDICII, MODO PROCEDENDI, ET ALIIS QUIBUSDAM OBSERVANDIS IN JUDICIO, ET QUOMODO FINIATUR JUDICIUM ?

VIII. *An acta* judicii per judicem existimatum, qui vere judex non est, sint valida? Qui existit in possessione officii judicis, quamvis ob defectum juris, aut tituli veri verus judex non sit, si tamen titulum coloratum, seu putativum habeat (eo quod, v. g., potestatem ad actus jurisdictionis exercendos ab eo acceperit, qui talem potestatem dare potuit), etsi error publicus, communis ac probabilis, pro vero, et pro legitimo judice eum communiter habeat, acta per illum ut judicem facta, valida sunt, supplente jure omnem defectum qui a jure positivo suppleri potest, ob boni communis et publici necessitatem.

Ille tamen qui titulum coloratum non habet, sed mala fide se intrusit absque legitima superioris auctoritate in officium judicis, nihil prodest ad eorum, quæ ut judex egerat, valorem, publicus et communis error; jure scilicet defectum non supplente, nisi in officii sui possessione sit judex cum duplici illo requisito : valde tamen probabile etiam est, quod illius etiam judicis acta valida sint, qui nullum quidem coloratum, aut apparentem titulum habet, bona tamen fide suam jurisdictionem possidet, et communiter pro vero judice habetur, ita ut in tali casu communis error solus sufficiat, ad supplendum ab Ecclesia defectum legitimi tituli. Præsertim si talis, sciente saltem illo, qui titulum legitime conferre potest, in sua possessione existat.

IX. Acta coram judice incompetente non valent, neque fidem faciunt coram judice competente, et hinc confessio coram judice incompetente facta, confitenti non præjudicat, ut exinde condemnari possit; potest tamen etiam hæc confessio judicium et præsumptionem criminis parere, et vim habere confessionis extrajudicialis, si non per vim, et metum tormentorum extorta, sed sponte facta fuerit; cum indignum videatur, ut, quod quisque sua voce confessus est, postea infirmet, proprioque testimonio resistat.

Quæ tamen coram judice competente in uno judicio acta fuerunt (circa merita causæ probanda, non tamen circa ordinationem litis) valida etiam sunt, et probant, ac fidem faciunt coram altero judice competente, dummodo inter easdem personas, et in ordine ad eumdem finem, seu effectum acta talia producantur. Quia bonum commune exigit, ut unus judex juvet alterum circa causam executioni mandandam; et hinc, sicuti sæcularis judex juvare debet ecclesiasticum, ad latæ sen-

tentiæ, sive censuræ observationem, ita ecclesiasticus etiam juvare debet sæcularem ad executionem sententiæ a se latæ, censuris etiam compellendo damnatum ad observationem sententiæ a sæculari judice latæ, ita tamen, ut ecclesiasticus judex prius examinare possit processum à judice sæculari factum tanquam hoc superior, non tamen sæcularis, tanquam inferior, processum ab ecclesiastico judice factum.

Quod si tamen ad universum finem tendant diversa judicia, acta in uno judicio non probant in altero, nec fidem faciunt, et hinc si coram judice sæculari actum fuit ad pœnam legalem, non probant eadem acta coram judice ecclesiastico ad pœnam canonicam ; nec testimonia, quæ probabant in judicio summario, plenam semper fidem faciunt in judicio ordinario.

X. *De ordine, seu modo procedendi summarie,* et de plano in judicio. Quod judicium aliud sit solemne, ordinarium et plenarium, aliud vero sit summarium, et extraordinarium, ex dictis jam patet, uti etiam ex diverso modo procedendi utrumque judicium inter se differat : hìc ergo modus tantum summarii processus, sive judicii explicatur.

Et primo quidem certum est, quod duas potissimum ob causas processus hic summarius instituatur. Primo quia sunt tales causæ, quæ celerem expeditionem requirunt, quales sunt pleræque causæ ecclesiasticæ ; causæ quæ incidenter tantum cognoscuntur, causæ beneficiales, decimales, lites mercatorum, ob nimiam frequentiam ; causæ alimentorum et tributorum, seu collectarum ; causæ naufragorum, pauperum et miserabilium personarum ; causæ mercedum et salariorum ; quando agitur de tutore dando, etc.

Secundo institui solet processus tantum summarius, si agatur de causis modicis, in quibus de parvo, et

facile reparabili damno agitur, quales sunt causæ civiles de delicto, v. g. modicæ summæ, respectu personarum litigantium, etc., aut si agatur de delictis levibus, aut lis sit mota inter personas viles et imperitas; aut si agatur judicio possessorio momentaneo, etc., inter quos modos illud tamen discrimen est, ut, si procedatur summarie propter causæ levitatem, plena probatio necessaria non sit, sed sufficiat etiam semiplena, quia agitur de modico præjudicio. Si vero summarie agatur, quod causa exigat celerem expeditionem, plena plerumque probatio requiritur, causæ tamen qualitate, et gravitate spectata. Videatur Clementin. Dispendiosam, 2, h. t.

Tertio certum est quod in processu hoc summario, ea quæ juris naturalis, aut gentium sunt, non sint omittenda, uti est citatio partis, juramentum calumniæ, aut malitiæ, de veritate dicenda, petitio facienda ab auctore; terminus ad exhibendas probationes omnes necessarias, et legitimas defensiones producendas, etc.; ea vero, quæ juris positivi tantum humani solemnitates sunt, nihil in hoc processus summario necessaria sunt; et hinc non requiritur necessario libelli oblatio, litis contestatio, variæ dilationes, multa advocatorum, aut partium jurgia, superfluæ probationes, etc.

XI. *De modo procedendi judicialiter* contra clericos criminosos. Ex cap... Cum non ab homine, 10, h. t., modus hic desumi debet, ubi statuitur, quod clericus (extenditur hoc communiter etiam ad regulares) in quocunque ordine constitutus, etiamsi prima tonsura tantum initiatus esset, propter furtum, homicidium, perjurium, aut aliud simile grave crimen, si de hoc legitime convictus fuerit, ab ecclesiastico judice sit deponendus (sive verbaliter degradandus per sententiam

judicis ecclesiastici); et si depositus incorrigibilis fuerit, quod sit excommunicandus, ac crescente deinde contumacia anathematizandus (cum solemnitate majore), et si necdum resipuerit, sed in profundum malorum venerit, cum Ecclesia non habeat ultra, quod faciat, per sæcularem potestatem, cui realiter degradatus tradendus erit, coerceatur et puniatur.

Putant quidem aliqui, modum hunc, contra clericos criminosos non semper esse observandum, sed posse clericum facino rosum in gravissimis delictis deprehensum, furtis, v. g., sacrilegiis, parricidiis, latrociniis, etc., non exspectata incorrigibilitate, statim degradari realiter, et tradi potestati sæculari puniendum, ut bono publico, et cleri reverentiæ magis consulatur: verum alii communius et probabilius putant, etiam propter enormia scelera, non posse clericum statim tradi curiæ sæculari puniendum, nisi sit incorrigibilis, aut nisi casus sit a jure exceptus, non tantum ob textum cit. cap. Cum non ab homine generaliter loquentem, sed ob textum etiam cap. Tuæ 6, de pœna. Ubi de latrociniis et furtis qualificatis clericorum puniendis respondet Pontifex, deponendos eos esse (verbaliter), et ad agendam pœnitentiam in monasterium detrudendos, vel in carcerem concludendos; ergo nec ob gravissima delicta commissa statim sunt realiter degradandi, et curiæ sæculari tradendi.

Sunt autem in jure casus aliqui excepti, in quibus si deliquerint clerici, non exspectata incorrigibilitate, sæculari curiæ puniendi tradi possunt: crimen hæresis, crimen falsationis litterarum apostolicarum, conspirationis, seu insidiarum structarum contra proprium episcopum, crimen assasinii, crimen nefandum contra naturam; non ordinati in sacerdotes, si missas tamen faciant, confessiones excipiant, etc.

XII. *Quomodo finiatur judicium?* Judicium sine instantia judicii duobus modis finitur, per lapsum temporis, et per absolutionem ab observatione judicii: per lapsum temporis, de jure civili, perit instantia in causa criminali intra biennium; in causa vero civili, intra triennium a litis contestatione numerandum. De jure tamen canonico nec per lapsum triennalis, per lapsum biennalis temporis exspirat instantia, sive in civilibus, sive in criminalibus causis.

Quia non expediebat dictam legem civilem, de pereunte instantia per lapsum certi temporis recipi, cum tali modo non consuleretur expediendis cito litibus, sed hæ potius fierent immortales, cum de jure civili finito triennio litem eamdem inchoare iterum potuissent partes, ac si nihil unquam motum fuisset, et frequentibus appellationibus a sententiis interlocutoriis, quæ de jure canonico, concessæ sunt, facile ultra tempus constitutum lites extenderentur.

Concedit quidem Trident., sess. 24, c. 20, De refor., quod si causa ad forum ecclesiasticum deducta, in prima instantia coram locorum ordinariis cognoscenda, infra biennium a die motæ litis non terminetur, liceat partibus, ad alium judicem superiorem causam illam deducere, ita tamen ut acta elapso biennio, aut instantia non pereant; sed partes, si velint, vel coram eodem judice litem prosequi possint, vel si lubeat, superiorem adire, causam tamen prosequi possint, ubi inferior destitit, et in eodem, quo fuit apud inferiorem statu, assumere. Hæc in puncto juris vera sunt; consuetudo tamen videtur potius approbare juris canonici sanctiones, quam quæ jura civilia statuunt.

Per absolutionem ab observatione judicii perit instantia, si in progressu litis appareat, intentionem ac petitionem actoris in libello inepte propositam fuisse,

quo in casu absolvitur reus ab instantia hujus judicii, reservato tamen actori jure iterum agendi, et rectius libellum formandi, ut reo provideatur, ne respondere debeat ad inepte petita, et tamen etiam actor non malum patiatur, ob inepte formatum libellum, sed rebus suis, melius hunc formando, consulere possit: et hinc si in principio statim, ante litem contestatam, libelli ineptitudo appareat, statim libellus talis a judice ex officio rejici debet, et lis non contestari ante libellum melius formatum, nisi ex aliis circumstantiis, et conjecturis satis appareat intentio, et petitio actoris, quæ etiam non nominata actione ex æquitate obscurari debet. Sunt insuper alia, quæ faciunt judicium omnino nullum, in competentia scilicet judicis, persona actoris, aut rei, quæ in judicio agere, aut conveniri non possunt; res ipsæ, quæ non possunt coram hoc judice tractari; defectus citationis; defectus et omissio substantialium solemnitatum; ordo juris non servatus, qui ad substantiam judicii pertinetur, de quibus tamen alibi.

CAPUT II.

DE JUDICE COMPETENTE.

§ I. DE FORO COMPETENTE IN GENERE, ET VARIIS MODIS QUIBUS CONSTITUITUR FORUM COMPETENS.

I. Quis dicatur *judex competens,* et quod forum competens? Forum competens aliud non est, quam tribunal judicis, cujus jurisdictioni in tali causa reus subjicitur, sive ubi reus ab actore conveniri potest, ac debet, juxta illud, quod ordinarie forum rei actor sequi debeat: et hinc judex competens dicitur ille, cujus jurisdictioni subjicitur reus, sive coram quo actio et lis proponi, institui, ac finiri potest.

Est autem judex competens alius simpliciter competens, quem partes litigantes adire possunt, et per se debent, tanquam ordinarium suum judicem. Alius per se quidem incompetens est respectu partium litigantium, cujus tamen jurisdictionem partes in se prorogare possunt. Alius denique est simpliciter respectu harum partium incompetens, qui nec ordinariam in partes litigantes jurisdictionem habet, nec per partium consensum jurisdictio ejus in has partes prorogari potest; cujus sententia ipso jure est irrita, et contra hujus sententiæ nullitatem semper excipere possunt partes, ita ut nunquam in rem judicatam transeat, si certo constet de judicis absoluti incompetentia.

II. De variis *causis*, seu *modis*, quibus constituitur forum competens. Ordinarii sunt quatuor modi, quibus forum competens constituitur, et sortitur aliquis, prout habetur ex cap. ult., h. t., ratione domicilii scilicet, ratione contractus, ratione delicti, et ratione rei sitæ in certo territorio aliquo. Præter hos quatuor modos, de quibus paulo post, sunt etiam extraordinarii aliqui, et generales, quibus forum quis sortiri poterit.

Sic *primo* patet, quod advenæ et peregrini in curia Romana conveniri possint, si Romæ existant, quamvis ex nullo alio quatuor modorum prius enumeratorum forum competens Romæ sortiantur; clerici quidem in omnibus causis tam ecclesiasticis, quam temporalibus, tam civilibus, quam criminalibus; laici vero saltem in causis ad forum ecclesiasticum pertinentibus, cum enim omnes ecclesiæ totius mundi sint in territorio Papæ, consequenter respectu omnium ecclesiis illis subditorum competens judex est Papa.

Per hoc tamen non negatur taliter convento, ex justa et necessaria causa, litem sibi Romæ intenta-

tam domum revocare ad forum domicilii, ubi ad respondendum melius instructus est, et quamvis Trident., sess. 24, c. 20, De refor., velit, ut causæ ecclesiasticæ in prima instantia coram ordinariis locorum cognoscantur, ac terminentur, per hoc tamen nihil derogatum voluit cap. libet. Cum omnium locorum ordinarius dici possit etiamPapa, et Roma sit communis omnium in Christo fidelium patria.

Secundo, possunt etiam sortiri forum aliqui ratione causæ, prout causæ ecclesiasticæ, et spirituales etiam laicorum coram judice ecclesiastico tractari debent, etsi nec ratione domicilii, nec ex alio ordinario capite, ad talem judicem personæ tales spectarent.

Tertio, possunt speciale forum sortiri aliqui, ob certa illis concessa privilegia, quibus ab ordinario foro exempti, certo foro gaudent.

Quarto, ratione communitatis privilegiatæ, cui adscripti sunt. Et *quinto* denique ratione continentiæ et connexionis causarum, de quibus suis locis.

III. *Quomodo*, et *quando* sortiatur quis forum, *ratione domicilii*, sive originis, sive habitationis. Duplex est forum domicilii, originis scilicet, et habitationis. Originis domicilium ibi quis censetur habere, ubi quis natus est ex patre, qui non tantum per modum transeuntium in hoc loco, ubi quis natus est, morabatur, cum alibi domicilium habeat, sed in quo pater nati filii stabile domicilium habebat, si tamen aliquod haberet, licet filius extra hunc locum ex occasione transitus, v. g., aut fugæ natus sit. Immo juxta aliquos ibi etiam forum originis sortitur aliquis, ubi pater illius natus, vel si ipse nepos vivente avo, et in hujus potestate natus sit, avitæ originis forum sortitur : nunquam autem matris, nisi sit vulgo quæsitus, qui patrem demonstrare non potest. Et quamvis demon-

strare non potest, et quamvis de jure sortitus sit domicilium originis, quod immutabile dicitur (neque enim qui in hoc loco, v. g., natus est, non potest esse aliquando in hoc loco non natus), domicilium tamen habitationis quoad jurisdictionem præfertur; et recepta passim consuetudo habet, ut mutato domicilio ex loco originis in alium locum, jura etiam originalia, quoad officia, munera et præstationes, etc., amittantur.

Domicilium habitationis vero ibi censetur quis habere, ubi actu habitat, et animum habet permanendi, nisi quid occurrat, quod animum illius immutet, ita ut duo requirantur ad constituendum domicilium, actualis scilicet habitatio (saltem inchoata) et animus permanendi in tali loco : et sicuti clericus duo beneficia habens, in diversis ecclesiis, quorum quodlibet residentiam per dimidium, v. g., annum requirit, domicilia habere dicitur, si in quolibet beneficio convenienti tempore residet, sic etiam laicus dici potest duo domicilia habere, si in duobus, v. g., locis per æquales anni partes actu habitat, cum animo, ita utrobique residendi, ita ut in quolibet loci ex ratione domicilii conveniri possit, etiam ob contractus, et crimina alibi commissa, tanquam absolute loci illius magistratui subditus, si ab alio judice loci illius, ubi contractum, aut delictum est, non fuerit præventus.

Vagi autem, qui nullibi sedem stabilem habent, sicut ubique, ubi existunt, conveniri possunt, juxta illud : ubi te invenero, ibi te judicabo. Qui vero alibi quidem stabile domicilium habent, ad alium tamen locum veniunt, animo per annum, v. gr., vel majorem anni partem ibi commorandi, censentur, si in tali loco dicto modo morentur, quasi domicilium in tali loco habere, ut delictis, aut contractibus, v. gr., etiam alibi

commissis conveniri coram loci illius judice possint, prout famuli, milites, præsidiarii, studiosi, etc., se habent. Quod si tamen absque dicto animo longius in loco tali permanent, ad locum talem accedant, præter opinionem tamen suam per accidens diutius ibi morari cogantur, non dicuntur quasi domicilium ibi habere, sed hospites tantum, et loci illius peregrini.

IV. Quomodo constituatur forum *ratione delicti?* Ratione delicti sortitur quis forum, et subjicitur jurisdictioni illius judicis in foro externo scilicet in cujus territorio deliquit, etiam si alias ei subditus non esset (ut scilicet scelera in eo loco puniantur publica vindicta, ubi commissa fuerunt; et ob bonum publicum manifesta sit delicti punitio, ubi cum offensa boni publici delictum commissum est), si in tali loco, ubi deliquit, delinquens deprehenditur, vel si antequam ex territorio tali egrediatur, citatione perventus fuit. Sicut autem nullum delictum exceptum est in tali loco commissum, quod territorii illius judicis jurisdictionem non subeat, ita nulla persona exempta est, ab hoc delicti foro (si tamen delictum non tantum sit contra particulare statutum aliquod, ad quod fortassis alter non tenetur, sed contra jus commune), pro conditione tamen personæ, ut scilicet ecclesiasticus delinquens forum delicti hujus ratione sortiatur apud ecclesiasticum illius loci judicem, sæcularis vero apud sæcularem judicem, et regularis apud regularem, juxta Trident. constitut., sess. 6, c. 3, De refor., et sess. 25, c. 14, De ref.

Quod si vero in uno quidem loco seu territorio inchoatum est delictum, in alio autem perfectum, et consummatum (ut si quis globum ejaculetur in territorio Electoris Bavariæ, et occidat hominem in territorio episcopi Augustani existente), probabile quidem

est, quod judex loci, in quo delictum perfectum est, et homo occisus, non judex loci, ubi delictum inchoatum est, possit delinquentem talem, si in territorio illius deprehendatur, judicare, et punire, probabilius tamen est, quod utriusque territorii judex procedere contra talem delinquentem possit, et detur locus præventioni (cum in utroque territorio reus deliquisse censeatur), nisi vulneratus lethaliter in uno loco, ad alterum sic vulneratus abiisset, et mortuus esset, quo in casu punitio, et judicium vulnerantis, penes judicem loci, ubi vulnus inflictum est, esset.

Si tamen reus ex loco delicti commissi fugiat ad aliud territorium, tum spectato jure communi, si sub eodem supremo principe sit tale territorium, judex talis territorii, si fuerit requisitus a judice delicti vel domicilii, eum capere, et remittere debet, cum ejusdem principis judices se invicem juvare debeant, si requirantur, ne delicta maneant impunita; si vero reus ad territorium fugerit, quod est sub alio principe, non tenetur reus remitti, neque cogi potest illius loci judex ad hunc remittendum, quamvis compelli possit ad agendum a reo talis fori ratione læsionis aut damnorum factorum. Hæc autem remissionis materia, quia hodie multum a consuetudine dependet, illa consulenda est, vel statuta particuliaria, etc., juxta quæ in nostra saltem Germania delinquens punitur, ubi deprehenditur, absque ulla remissione facta ad judicem delicti : neque possunt ministri, aut officiales sive judices, ubi delictum commissum est, in alieno territorio, quo reus jam aufugit, eum persequi, sed ab omni illius persecutione desistere debent, quamprimum alienum ille territorium attigit, nisi sint grassatores, latrones, aut alii similes pacis publicæ perturbatores, quorum persecutio in imperio

etiam extra territorium persequentis continuari potest. Quomodo etiam prælatus regularis in quoslibet sui ordinis regulares, ubicumque delinquunt, jurisdictionem habet ratione obedientiæ illi promissæ, et bellidux in quoslibet milites sui exercitus.

V. Quomodo, et quando constituatur forum *ratione contractus?* Ratione contractus, aut quasi contractus sortiri forum contrahentes ibi, ubi contraxerunt, si tamen in loco, ubi contraxerunt, moram habent, tabernam, officinam, tentorium erigendo, ad merces distrahendas, sive horreum conduxerint ad emendum, aut vendendum (neque enim, qui cum viatore, aut peregrino sciens hunc talem, et statim iterum discessurum, contrahit, in loco contractus hunc talem convenire poterit, nisi etiam hic talis in judicem contractus consensisset, aut aliud exigat natura contractus, aut consuetudo loci, alias enim durissimum tali peregrino foret, ubique locorum, quo devenit, respondere), et si in loco contractus reperiatur.

Si territorio contractus jam excesserunt, urgeri amplius non possunt, ad comparendum coram judice loci illius personaliter, quamvis immissio in illorum bona, si quæ habent in tali territorio, et citati contumaciter absint, fieri possit, vel si nulla bona habeant, in loco contractus, habeant tamen in loco domicilii, ad hunc locum actor remitti poterit, et judex domicilii requiri, ut actorem bonorum talium possessionem immittat. Quæ tamen omnia intelligenda sunt, nisi aliter contrahentes convenerint, qui sicuti solutioni faciendæ certum locum nominare possunt, ita ad contractum implendum convenire possunt, de domicilii, vel loci celebrati contractus judice, aut receptæ consuetudini deferendum erit.

§ II. AN, ET QUOMODO JUDEX COMPETENS JURISDICTIONEM SUAM EXTENDERE, AUT JUS DICERE POSSIT EXTRA TERRITORIUM PROPRIUM?

VI. Quod judex non possit directe jurisdictionem contentiosam exercere extra territorium proprium, sive in alienos subditos, sive in suos, quoad res et bona in alterius territorio sita, certissimi juris est, tantum id in quæstionem venire potest, an et quando statutum, vel sententia judicis extra proprium territorium se extendat, et effectum aliquem habeat?

1° Si *statutum particulare* provinciæ, aut civitatis alicujus directe tantum disponat, circa formam actus præscribendo, v. g., quænam substantialiter ad valorem contractus, v. g., aut testamenti, etc., in tali loco facti requirantur, vel si directe disponat circa personas suæ jurisdictioni subjectas, habilitans illas, v. g., ad actum faciendum, validus est actus, juxta formam talem in illo loco factus, a quocumque demum, sive incola, sive peregrino ibi contrahente, v. g., aut testante, etc., fiat, etiam quoad bona extra territorium talis provinciæ aut civitatis sita: quamvis enim circa hæc bona nullam directe jurisdictionem statuentes talia exercere possint, possunt tamen indirecte, contractum, v. g., aut testamentum in tali loco factum validando, vel irritando.

2° *Sententia pœnalis*, seu pœnæ inflictiva, ordinarie se non extendit extra, vel ultra territorium judicis sententiam talem ferentis in ordine ad sententiæ talis executionem (quia judex non potest actum jurisdictionis contentiosæ, qualis est executio sententiæ exercere extra proprium territorium), nisi requisitus alterius territorii judex, ut pœnam in ejus territorio exequatur, consenserit, vel pœna imposita, ex præscripto legis

utrique loco communis, ita ut uterque judex eam observare debeat; quibus in casibus sententiam ab hujus territorii judice latam alterius territorii judex exequi debet.

Quod si vero ex lege communi bona in pœnam confiscentur, et hæc in diversis territoriis existant, ita tamen, ut diversa hæc territoria uni subsint principi, v. g., tum bona confiscata, in quocumque territorio existant, ad fiscum principis illius redigentur; si tamen sub diversis principibus sint talia territoria, et ex dispositione legis utrique territorio communis pœna confiscationis imponatur, tum illi fisco omnia bona mobilia confiscata cedunt, in quocumque territorio sita sint, et bona immobilia in hoc territorio sita, ubi sententia condemnans lata fuit : quæ autem in alieno territorio bona immobilia sita sunt, illius territorii fisco cedent, si confiscandi bona jus habeat dominus; si autem ex speciali tantum certi territorii statuto confiscatio pœnalis fiat, locum illa non habebit circa bona extra territorium confiscantis sita, etiamsi utriusque territorii idem princeps sit, ut ne fiat odiorum extensio, sed tantum ad bona in tali territorio sita, ut statutum tale viget, extendi potest. Vide de his civilibus plura apud auct. Meth., l. cit.

§ III. DE FORO COMPETENTE CLERICORUM.

VII. Quis sit judex competens clericorum? Quod conveniri possint clerici non exempti coram suo episcopo, qui judex ecclesiasticus ordinarius est totius diœcesis, sive a laico, sive clerico conveniantur, in causis tam civilibus, quam criminalibus, certissimi juris est, nisi cum consensu proprii episcopi apud alium ecclesiasticum judicem partes agere velint, aut speciale aliquod privilegium, vel recepta consuetudo, vel

ipsæ etiam leges aliis etiam ecclesiasticis jurisdictionem in quosdam clericos tribuant.

Quo in casu, si exempti tales clerici, aut prælati non sint a jurisdictione episcopi, penes actorem optio erit, clericum talem, vel coram suo episcopo, aut coram inferiore immediato prælato jurisdictionem in illum habente, convenire; et prælatus talis inferior, si territorium proprium non habeat, in personas suæ jurisdictioni subjectas, potest eam exercere in quovis diœcesis illius loco, ne frustranea sit illius jurisdictio, quæ personas tantum certas respicit, et non certum locum inter diœcesim illam situm, episcopus tamen extra suam diœcesim jurisdictionem contentiosam exercere non potest, nec in ordine ad suos subditos, cum hujus jurisdictio certum etiam locum respiciat, nisi vel ex consensu loci illius, v. g., diœcesis episcopi vel ex sua diœcesi expulsus beneficio, seu privilegio Clementinæ unicæ h., t., uti velit.

VIII. In quibus casibus in specie clerici *coram judice sæculari* conveniri non possint, et in quibus possint? In genere quidem certum est, quod nullus judex sæcularis per se condemnare possit, vel judicare personas ecclesiasticas, sive clericos, nulla consuetudine, quamvis immemorialis illa sit, quidquam juvante, etiamsi liquida contra eos instrumenta producta fuissent, ita ut sola executio facienda esset, ita ut excommunicationem ipso facto incurrat, qui contrarium agit; et hinc conveniri non possunt clerici, et aliæ personæ ecclesiasticæ coram sæculari judice, non tantum in actionibus personalibus, sed neque in causis sive actionibus realibus (quidquid sit de contraria alicubi recepta praxi quoad actiones), cum res in territorio sæcularis judicis sita forum illi non tribuat, si persona per speciale privilegium omnino exempta sit.

Neque hæres clericus, qui in bona laici successit, conveniri potest, ex sententia probabiliore, ratione horum bonorum coram sæculari judice, etiam si coram judice laico contra defunctum laicum lis jam fuisset inchoata : neque enim per præventionem judicis laici perditur privilegium fori clericis concessi, cum hoc nullo jure probetur.

Neque conveniri potest clericus coram laico judice in causa communi clerico cum laico, aut pluribus laicis propter consortium, sed contra potius fieri debet, ut laicus coram ecclesiastico judice in causa tali cum clerico communi conveniatur (quia magis dignum trahit ad se minus dignum), si tamen causa dividi non possit; si enim dividua esset, quisque coram suo judice conveniri deberet. Neque denique conveniri potest clericus coram judice laico, etiam tantum in possessorio agatur, non quidem fortasse propter qualitatem causæ, sed propter qualitatem personæ.

Sunt tamen plures etiam casus, in quibus clerici coram judice laico conveniri possunt. Et primo quidem in causis feudalibus cap. Verum, 7, h. t. Secundo in casu quo bona immobilia clericis, vel ecclesiis donata aut data sunt, cum tali pacto, seu conditione, ut sub eodem foro maneant, sub quo prius existebant, quæ conditio, utpote justa, si ab ecclesia donatio, vel datio talis acceptatur, servanda est, prout principes imperii ecclesiastici ratione suorum privilegiorum, et regalium, quæ ab imperio habent, imperio subjecti sunt. Tertio si agatur contra laicum ad evincendum ab ipso rem, quam emit a clerico, et clericus venditor ad defendendum emptorem ei assistere velit, coram judice sæculari, ipsius scilicet emptoris, comparere debet. Et quarto sicuti laicus ratione administrationis ecclesiasticæ nonnunquam debet coram judice ecclesiastico

officii sui rationes reddere, ita clericus etiam ratione officii, si alieno nomine conveniatur, tutor, v. g., ratione pupilli, curator ratione minoris, etc., coram judice sæculari respondere potest.

IX. Quinam in specie gaudent *privilegio fori ecclesiastici?* Non tantum clerici in sacris constituti privilegio fori ecclesiastici gaudent, sed etiam clerici in minoribus constituti, vel si tantum tonsura initiati, si observent ea, quæ a Trident., sess. 23, c. 6, De reform., his præscribuntur, ut scilicet vel beneficium ecclesiasticum (late accipiendo nomen beneficii, prout etiam pensionem significat) habeant, vel si beneficium non habeant, saltem clericalem habitum et tonsuram deferant, et alicui ecclesiæ ex mandato episcopi inserviant, vel certe habitum, et tonsuram deferentes in seminario aliquo clericorum, vel in aliqua schola, vel in universitate aliqua, de licentia episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versentur.

Et quamvis hoc fori privilegium recte ad clericos conjugatos, qui cum unica, eaque virgine (ab alio non corrupta) contraxerunt, et dictas conditiones observant, extendatur, probabilior tamen dici potest, quod in criminalibus tantum hi hoc fori privilegio gaudeant, sive si de crimine puniendi sint criminaliter, sive civiliter conveniantur : rectius tamén hoc fori privilegium ad uxores legitimas talium clericorum, uti, et liberos eorum non extenditur, cum privilegium hoc sit privilegium personale, et uxores in illis tantum sortiantur forum mariti, qui cum ipsis communicari possunt, multo minus extendi debet ad concubinas clericorum (quarum delicta cum clericis commissa, recte dicuntur mixti fori delicta), ad familiam clericorum, ad rusticos, et colonos clericorum, etc., de quibus tamen cum jura nihil speciale ratione fori statuant, juxta jus

commune cum illis procedendum est. Rectius tamen hac in re videtur consuetudini adscribendum, quod nonnunquam fit, quam juris privilegio.

Gaudent autem hoc fori privilegio etiam monachi, et regulares omnes utriusque sexus; etiam laici conversi, novitii, oblati, religiosi ordinum militarium, fratres tertii Ordinis S. Francisci; eremitæ, qui tria substantialia vota religiosa emiserunt; vel si tria hæc vota non emiserunt, vivunt tamen communiter in congregatione aliqua, juxta ritum ab episcopo approbatum; vel si solitarii vivant, deferunt tamen habitum et tonsuram, et sunt auctoritate alicujus episcopi, episcopo ad servitium alicujus ecclesiæ deputati, et vivunt sub obedientia episcopi, et si hospitalia sint auctoritate episcopi erecta, etiam hospitalarii, si in talibus domibus vivant, et talium hospitalium incolæ, qui sub obedientia dictorum hospitaliorum vivant, privilegio fori gaudent, quia omnes isti nomine personarum ecclesiasticarum in latiori acceptione venire possunt, attendenda tamen in multis consuetudo est.

X. *Quando, et in quibus casibus* clerici non gaudeant privilegio fori ecclesiastici? Primo, clerici beneficiati, in sacris constituti, si habitum et tonsuram nunquam deferant (ita ut laici passim habeantur), sine ulla justa causa, et ab episcopo suo ter moniti, eum non reassumpserunt, vel semel in synodo generali quidem sub expressa tamen comminatione privationis privilegii fori, privilegium hoc amittunt. Ita tamen, ut si postmodum (sine fraude subterfugiendi fori sæcularis) ea assumpta sint, privilegio hoc gaudeant, cum in tali casu non absolute, sed præcise propter dimissum habitum, et tonsuram privilegio fori non gaudeant, ergo his assumptis privilegio suo gaudebunt, modo nihil in fraudem fori alterius factum sit.

Secundo, si propter delictum, et subsequentem incorrigibilitatem excommunicati clerici etiam in sacris constituti fuerint, et in contumacia perseverent, ipsi amittunt privilegium fori, et fori sæcularis fiunt; si tamen per sententiam judicis ecclesiastici declaretur incorrigibilitas, et actu tradatur potestati sæculari.

Tertio, si se immisceant enormitatibus, sive multa enormia delicta committant, privantur ipso jure fori privilegio clerici, quamvis in sacris constituti sint, saltem post trinam monitionem episcopi, et, ut aliqui putant, post degradationis realis sententiam, et actualem traditionem sæculari magistratui factam, quod conformius juribus est.

Et quamvis qui judicari non potest a sæculari magistratu, nec ab eo capi possit, et in carcerem conjici, sunt tamen plures etiam casus, in quibus sæcularis magistratus etiam clericos capere potest, non obstante fori privilegio, quod contra talem capturam nihil illis patrocinatur:

Sic primo capi potest clericus a sæculari magistratu (ex tacita saltem commissione magistratus ecclesiastici), si in delicto deprehensus fuerit, aut debita gravia contraxerit, vel gravi injuria laicum affecerit, etc., et de fuga suspectus sit, non ut ab eo puniatur, sed ut suo magistratui ecclesiastico puniendus tradatur.

Secundo, ut præveniatur delictum committendum, ut si de nocte armatus incedat, et suspectus sit de homicidio committendo.

Tertio, quando expressum mandatum habetur ab ecclesiastico magistratu, ut ob delictum commissum capiatur clericus.

Quarto denique, quando impune verberari potest a laico.

In tali enim casu etiam capi potest. De eo tamen,

utrum quis clericus sit, si hanc exceptionem ad forum declinandum opponat aliquis, cognoscere debet judex ecclesiasticus, uti etiam, si quis fraudis arguatur in assumendo, aut reassumendo statu clericali.

XI. *Quo jure* clerici, aliæque personæ ecclesiasticæ sint exemptæ a jurisdictione, et potestate sæculari, num *positivo tantum*, seu humano, an etiam *divino*, et *naturali*? Qui clericos, et alias personas ecclesiasticas jure divino et naturali eximunt a laica potestate et jurisdictione, multi sunt, et non levia fundamenta habent suæ opinionis, non tantum ex Antiquo Testamento, ubi levitarum tribus, nulli alii tribui subdita fuerat, sed soli Aaroni, et successoribus sacerdotibus summis, etc., sed etiam ex Novo (Matth. 17), ubi Christus seipsum, et Petrum a solvendo tributo eximi putat, etc., et ex jure canonico, c. Quamquam 4., De censib. in 6, et ex Trident., sess. 25, c. 10, De reform. Et ex ratione denique, eo quod personæ tales sint in sortem Dei segregatæ, si ergo alia inanimata, in ministerium Dei peculiariter selecta, uti sunt sacri calices, sacra altaria, templa, et vasa alia altaris ministerio dedicata, a profano usu, et civili dispositione exempta sunt de jure naturali et divino, cur non etiam personæ ecclesiasticæ?

His tamen nihil obstantibus fatetur quidem communior sententia, originaliter juris divini esse hanc clericorum exemptionem, eo quod scilicet Deus dederit Summo Pontifici hanc eximendi potestatem; et satis certum esse, quod si in rebus mere spiritualibus, et ecclesiasticis exemptio hæc sit juris divini formaliter, et immediate, clericorum tamen, et talium personarum ecclesiasticarum exemptionem formaliter, et immediate juris esse positivi humani, tam canonici, quam civilis; tum quod potestas circa ecclesiastica et spi-

ritualia immediate a Christo data est Summo Pontifici, sicuti potestas politica in ordine ad temporalia a republica datur principi: tum quod utriusque juris textus hanc exemptionem clericis tribuant, et non in primitiva Ecclesia, omnis anima, juxta Apostolum, sublimioribus potestatibus (sæcularibus scilicet) subjecta fuerit, sed ipse etiam Apostolus ad Cæsarem appellaverit, tum quod Pontifex etiam hodie possit minuere, aut extendere hanc exemptionem.

Neque argumenta contraria efficaciter intentum probant, cum Antiqui Testamenti leges judiciales, et cæremoniales hodie non amplius valeant, et Novi Testamenti verba de Filio Dei ab omni potestate humana exempto intelligi possint; sacri vero canones, et Tridentinum satis explicentur, si originaliter divini juris hæc exemptio dicatur esse, vel saltem si dicatur talis exemplariter facta ad antiquæ legis exemptionem, non quidem immediate a Deo, sed a Summo Pontifice. Ad rationem denique responderi potest, nihil ea efficaciter probari, cum vel de rebus consecratis procedat, quibus ratione consecrationis major reverentia debetur, vel de rebus non consecratis, et par erit dubitandi ratio : quia tamen, nec secundæ sententiæ argumenta efficaciter aliquid probant, videntur priori, quæ clero favorabilior, et communior est inter canonistas, sua major probabilitas non neganda.

§ IV. DE RENUNTIATIONE FORI COMPETENTIS, PROROGATIONE JURISDICTIONIS, ET RECUSATIONE JUDICIS COMPETENTIS.

XII. De renuntiatione jurium, seu favorum in genere. Communis regula est, quod quisque renuntiare possit juri suo, seu privilegio in favorem proprium et privatum concesso, non autem dato in favorem publicum.

Et hinc infertur primo certum esse, quod juri natu-

rali valide nemo renuntiare possit, cum jus naturale non privatum tantum, sed publicum spectet : quamvis enim renuntiare quis possit, ut quod decernente jure positivo, ex jure naturali consequi posset, hæreditati, v. g., quæ ipsi jure sanguinis, et agnationis defertur, quo minus tamen sit sanguine junctus, renuntiare non potest.

Secundo, infertur quod nemo renuntiare potest juri divino præcipienti, aut prohibenti aliquid, cum neque hoc præceptum, aut talis prohibitio privatum tantum, sed publicum spectet.

Tertio, infertur quod juri positivo humano, civili et ecclesiastico subinde renuntiari possit, subinde non possit; et primo quidem si jus humanum certam formam, et substantialem solemnitatem, in actu aliquo necessario observandam, præscribat, renuntiari illi non potest, cum publicum bonum in hac forma præscribendo observetur; et universim, si quid statutum sit ob publicum favorem, seu utilitatem, privata conventione renuntiari illi non potest, cum bonum publicum mutari non possit privatorum pactis. Secundo, si jus humanum introductum sit in plurium favorem æque principaliter, non potest unus sine consensu aliorum, et cum eorum præjudicio renuntiare, si commodum renuntiantis sit inseparabile a commodis aliorum; quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, juxta regul. 29, in 6.

Si vero pro privata tantum persona, et in privatum tantum commodum privilegium, verb. g., aliquod principaliter alicui concessum sit, potest illi renuntiare, cui favor hic privatus factus est, nisi privilegium tale concessum fuisset ob imbecillitatem ætatis, aut æque principaliter privilegium tale in favorem hujus, et in odium alterius concessum fuisset, aut renuntiatio talis

ad peccatum indiceret, et contra bonos mores esset; quibus in casibus renuntiatio non valet ob pessimas sequelas, quas secum traheret.

XIII. De renuntiatione privilegii fori ecclesiastici, quod competit clericis. Quod clerici, nec inviti, seu coacti, nec volentes, renuntiare possint privilegio fori ecclesiastici, et consentire in judicem laicum, ut coram illo conveniantur, etiamsi juraverint, hunc judicem non subter fugiturum, cum hoc privilegium non privatum tantum unius clerici favorem concernat, sed toti collegio clericorum propter publicam honestatem, et totius ordinis clericalis honorem concessum sit; et juramentum, quod est contra publicam utilitatem, non teneat. Volunt autem SS. canones adeo sancte hoc observari, ut in capite. Si diligenti, certas pœnas, amissionis causæ, verb. gr., vel amissionis illius, quod evicit, quod habeatur a communione extraneus, etc., statuant in eos, qui taliter renuntiant, et sæculari judici se subjiciunt.

XIV. An, et *ob quas causas*, et quando judex alioquin competens recusari possit? Quidquid sit de jure civili, quod inter delegatum et ordinarium judicem in ordine ad recusationem discrimen aliquod facit, de jure canonico non minus ordinarius, quam delegatus tanquam suspectus recusari potest, si superiorem aliquem habeat, ita tamen, ut causa recusationis specifice exprimenda sit in libello recusationis, et coram electis arbitris probanda, ad multas fraudes cavendas.

Sunt autem plures causæ ad recusandum judicem in jure approbatæ: si est, v. g., probabilis suspicio de minus recta affectione judicis erga partem vel de imperitia illius, si judex cum parte litigante inimicitias gerat, aut cum parte litigante judex etiam judicialem aliquam controversiam habeat; si sanguine,

vel etiam amicitia sit valde conjunctus parti litiganti; vel si dominus adversarii, cum quo lis est, vel sit illius familiaris, socius, patronus, affinis, etc., vel similem controversiam, cum alio in alio judicio judex habeat. Est autem hæc judicis recusatio ante litis contestationem proponenda, cum sit exceptio dilatoria, nisi post litis contestationem nova causa recusationis superveniat, aut juret pars recusans, ad suam primum notitiam post litis contestationem causam illam pervenisse.

Judex si ut suspectus recusetur, non potest ipse in causa recusationis cognoscere (qui enim in principali causa suspectus est, multo magis talis habetur in causa accessoria), nisi notorie et indubitate frivola sit; sed debet causa principalis cognoscenda remitti ad superiorem, vel alii personæ idoneæ, et non suspectæ committi ex consensu partium, vel ex communi utriusque partis consensu arbitri eligi debent, qui de causa tali recusationis cognoscant. Interim tamen per recusationem talem manet suspensa recusati judicis jurisdictio, et in causa coram se prolata ad ulteriorem non potest procedere.

§ V. DE CITATIONE AD FORUM, SEU TRIBUNAL COMPETENS.

XV. *Quid, et quotuplex sit citatio*, et quænam ad illius substantiam requirantur? Citatio est actus judicialis, quo is, quem in judicio sisti oportet, judicis mandato legitime vocatur in judicium, juris experiundi causa, quæ usque adeo necessaria est ad valorem judicii, ut actus judiciarius contra citatum celebratus regulariter nullus sit ipso jure, cum citatio ad defensionem spectet, quæ est juris naturalis; et hinc recte etiam dicitur judicium a citatione incipere. Dividitur autem citatio in publicam et privatam; publica fit vel per procla-

mationem, seu vocem præconis, per tubam, vel campanam, per edictum publicum, valvas ecclesiarum, curiarum, vel portarum civitatis affixum, qui tamen modus citandi non semper, et in omni casu permissus est.

Privata citatio est, quæ sit privatim in personam citandi; et hæc duplex est, verbalis alia, quando reus per nuntium viva voce coram et in faciem in judicium vocatur; vel saltem ad domum solitæ habitationis, ubi reperiri non potest, clara adeo voce citatur, ut vicini etiam de ea testari possint, vel quando pro conditione personæ per litteras submissas citatur.

Alia realis est, quæ fit per captivitatem et apprehensionem personæ, ut ad judicem adducatur, quæ realis citatio in criminalibus potissimum locum habet. Alia autem citatio simplex dicitur, quæ citatum non prius contumacem facit, quam ter facta fuerit, ita tamen, ut inter singula citationum edicta, certum et justum temporis intervallum, decem scilicet dies intercesserint.

Alia dicitur peremptoria, quæ pro tribus distinctis habetur, si in citatione adjiciatur terminus, peremptorie, et tantum temporis continet, quantum aliæ tres citationes diverso tempore factæ includerent.

Et demum citatio alia juris est, quomodo ipsum jus statuit tempus, intra quod desistere quis debeat (quæ citatio, etiamsi jus terminum peremptorium non habeat, semper tamen peremptoria est), alia hominis, cum quis judicis mandato in jus vocatur.

Requiritur autem ad legitimam citationem primo, ut exprimatur nomen, et cognomen judicis citantis, ut citatus noscere possit, an competens ille judex sit, vel non sit, delegatus sit, qui una cum citatione copiam suæ delegationis transmittere debet, an ordinarius. Se-

cundo requiritur, ut exprimatur rei, qui citatur nomen, et cognomen, vel saltem universitas illa, quæ citatur, ut noverit citandus, quod ad ipsum citatio pertineat. Tertio requiritur, ut contineat nomen, et cognomen actoris, ut noverit reus non ex officio judicis, sed ad instantiam fieri citationem. Quarto requiritur, ut in citatione exprimatur causa, saltem in genere, ob quam quis citatur, ut instruatur scilicet reus, super quo conveniatur, ac deliberare possit, utrum litigare velit. Quinto requiritur, ut locus judicii, seu tribunal apponatur (nisi aliunde constet de tali loco), ut sciat scilicet citatus, an sui territorii fines egrediatur judex, et tutus sibi locus sit, ad quem citatur. Sexto denique requiritur, ut dies certus, et terminus congruus comparendi in citatione exprimatur, ut noverit citatus, an dies ad quam citatur, sit juridica, etc.

XVI. *Quælibet citatio tres partes* habet, a notario diligenter actis litis inferendas. Primo mandatum judicis, sine quo non valet citatio. Secundo ut nuntius citationem sibi demandatam exequatur in faciem citandi, si reperiri possit, vel ad illius domum, si aliter reperiri non possit. Tertio ut nuntius faciat citationis factæ relationem judici, quæ a notario in acta referri debeat, ut de citatione facta constet, vel si judex præsens non adsit, soli notario, cui relationi etiam creditur, et plena fides adhibetur præsertim in civilibus.

Quilibet judex competens, sive ordinarius ille sit, sive delegatus, citare potest, cum sine citatione jurisdictionem suam exercere non possit, ita tamen, ut qui delegatam tantum jurisdictionem habet, verbaliter tantum, vel in scriptis citare possit, non autem realiter per capturam, aut per edictum, nisi quoad edictum sit delegatus supremi principis, aut specialem commissionem, etiam quoad capturam habeat. Et quamvis

citatus privilegium ab exemptione judicis habere possit, comparere tamen debet, et privilegium suum exhibere, ne contumax censeatur, nisi privilegium illius notorium esset, ut est privilegium clericorum contra laicum judicem.

Citari autem debent, et possunt omnes, quorum interest causa, quæ in judicio agitur, sive qui ex actu aliquo, qui fit in judicio, lædi possunt, nisi tali judicio per se præsentes sint, aut alia aliqua causa interveniat, ob quam omitti potest citatio, uti videre est apud civilitates. Finis autem citationis est, ut reus ad petitionem actoris in judicio compareat, et ad defensionem se reus parare possit. Effectus denique citationis sunt, primo quod obliget citatum ad comparendum, nisi justa causa excusetur. Secundo quod inducat præventionem respectu illius causæ, respectu cujus citatio facta est. Tertio quod perpetuet jurisdictionem delegati, postquam ab hoc emanavit, etiamsi nondum ad citati notitiam pervenerit, ita ut morte delegantis non exspiret. Quarto quod inducat vitium litiosi, et litis pendentiam, ita ut nulla sit rei talis litigiose alienatio. Et quinto denique, quod interrumpat odiosam præscriptionem longissimi temporis, 30 vel 40 annorum; ad quam interruptionem etiam unica, et simplex citatio sufficit.

CAPUT III.

DE ACTIONIS PROPOSITIONE.

ARTICULUS PRIMUS.

De libelli oblatione.

I. *Quid, et quotuplex sit libellus,* et an necessario cuique offerendus sit ? Post legitimam citationem offertur judici libellus reo tradendus, ut hic sciat, et

videat quid ab ipso petatur, et an contendere velit. Est enim libellus, prout hoc loco sumitur, nihil aliud quam editio actionis futuræ litis speciem continens. Debet autem hic libellus in scripto offerri, ad multas fraudes cavendas; debet esse brevis, tantum necessaria, et utilia continens; debet esse perspicuus, et clarus, et ideo non facile admittitur libellus alter novus, nisi propter probabile dubium altera nova petitio videatur admittenda, ad eundem fortassis finem contendens debet esse ordinatus, tria continens: primo scilicet narrationem facti; secundo medium concludendi sive justam causam petendi; tertio denique ipsam petitionem, et quamvis principaliter, et primo judici sit offerendus libellus, hujus tamen copia saltem communicari debet etiam a judice parti adversæ, ob rationes sæpius jam allatas.

Est autem libellus duplex, conventionalis seu postulationis, qui in causis civilibus offertur, quo rem nobis debitam petimus; et querimonialis seu accusationis, qui in causis criminalibus porrigitur. Et quamvis olim in causis civilibus de jure civili antiquo necessarius non fuerit libellus, et hodie etiam in multis locis consuetudo obtineat, ut in scripto libellus necessarius non sit, viva voce suas petitiones proferentibus coram notario, actore et reo, de scripto tamen jure hodierno ad substantiam processus judiciarii ordinarii requiritur libelli oblatio, uti colligitur ex c. 1, h. t.

II. Quomodo *formandus* sit libellus, sive quæ in eo contineri debeant? Rectissime formabitur libellus conventionalis, si sit quasi syllogismus aliquis practicus et judicialis, qui tres partes contineat: medium scilicet sive causam petendi, loco majoris; narrationem facti, loco minoris, et deductam exinde petitionem, seu conclusionem, ex utraque priori propositione desumptam.

Sicuti autem causa sive medium concludendi duplex est, remotum, sive titulus, ex quo res aliqua debetur, v. g., et proximum, quod est jus, v. g., competens, et obligatio alterius, etc., ita in quolibet libello exprimenda est causa petendi, proxima sive remota : et in actione quidem reali, quando agitur ad rem aliquam, sive jus aliquod sibi vindicandum, sufficit exprimere causam proximam : peto, v. g., hanc rem (non tantum petendo aliquid in confuso, sed rem determinando, quæ petitur) mihi adjudicari, quia dominus illius sum, ita ut de titulo, ratione cujus dominum hujus rei habeo, quæ causa remota dicitur, nihil necesse sit mentionem facere, nisi jus commune resistat actori; in actione vero personali, explicanda est causa remota, sive titulus vi cujus res, quam peto, mihi debetur. Peto hunc fundum, v. gr., mihi adjudicari, quia legitime emi eum, etc.; ex his enim expressis satis colligitur, non tantum quo fundamento petam aliquid, sed satis apparet etiam quæ actio intentetur.

In libello tamen criminali non requiritur conclusio seu petitio, sed sufficit sola facti narratio, ut crimen homicidii, v. g., noscatur, adjunctis circumstantiis personæ, loci, temporis, etc., neque enim in his criminalibus criminaliter actis pars aliquid dari sibi petit, sed de pœna a jure statuta judex concludere debet ex officio.

III. De *mutatione* et *emendatione* libelli, ejusque effectu. Discrimen est inter τὸ mutari, et inter τὸ emendari libellum. Mutari libellus dicitur, cum actio proposita, vel causa petendi in eo expressa mutatur, et alia proponitur. Emendari dicitur, quando vitium aliquod ad substantiam libelli nihil pertinens, vel obscuritas aliqua tollitur, aut additur aliquid, immutata libelli substantia.

Mutare libellum actor licite potest ante litis contestationem, tam in civilibus, quam criminalibus, cum judicium nondum proprie cœptum sit, et pœnitere liceat, modo reo novæ dilationes concedantur, et de damno, si quod passus est ratione mutationis, talis reddatur securus : post litem vero contestatam, mutare non potest libellum actor, nisi inchoata nova instantia novum libellum offerre velit cum refusione expensarum. Si quid tamen obscurius in libello dictum declarare velit, concessum hoc illi est tam ante, quam post litis contestationem, usque ad conclusionem causæ, cum per talem accidentalem emendationem causæ status, ad quem per litis contestationem quasi contractum est, nihil immutetur.

Effectus autem libelli oblati est, quod secundum petitionem in libello factam sit ferenda sententia, et quamvis si nihil intersit rei conventi, ut lis cœpta perficiatur, a lite prosequenda desistere possit actor, etiam post litis contestationem; si tamen intersit rei conventi, ob expensas, v. g., factas, ut lis perficiatur, debet eam prosequi actor, et ad finem perducere, ita ut in contumaciam etiam condemnari possit, si litem prosequi nolit.

ARTICULUS II.

De litis contestatione.

IV. *Quid sit litis contestatio*, seu in quo consistat, et quo pacto inducatur, et an sit necessaria ad judicii substantiam? Litis contestatio, quæ plerumque requiritur ad substantiam judicii ordinarii, recte describitur, quod sit fundamentum judicii (proprie dicti) per petitionem (actoris) in jure propositam, et congruam (rei) responsionem animo litigandi factam juxta

formam, et praxim illius tribunalis factam : ita tamen ut per solam facti narrationem, et particulares petitiones quæ fiunt ab actore, absque petitione nulla fiat litis contestatio ; potest autem ex parte rei fieri litis contestatio, non tamen negative, sive negando simpliciter narrata et petita ab actore, prout narrantur et petuntur, sed etiam affirmative, ita tamen ut appareat hæc fieri non animo cedendi liti, sed animo litigandi, qui facile præsumitur, quando narrata quædam conceduntur, petita tamen negantur, ad quem finem in judicio sua petere censetur actor, et negare ea censetur reus, nisi major expressio ex particulari tribunalis alicujus statuto aut consuetudine requireretur, aut expresse protestetur reus se non animo litigandi, sed informandi tantum judicem petita aut narrata negare.

V. *De positionibus*, et *articulis*, ac *responsionibus*, et quomodo a litis contestatione differant? Positiones, quæ regulariter super causa principali post litis contestationem fiunt, sunt breves quædam narrationes, aut assertiones alicujus facti ad causam controversam pertinentis, super quo petitur ab adversario responderi, ut noverit actor, ab onere probandi hoc per confessionem ultroneam adversarii, se liberum.

Debent autem positiones tales esse breves, claræ, et nihil superfluum, aut ad rem non faciens continere, rejiciendæ a judice, si sint impertinentes : et continere tantum ea quæ sunt facti, non autem quæ sunt juris, cum jus suam certitudinem non a responso rei conventi, sed ex se habeat : et ordinarie in judicio ordinario sunt in scriptis offerendæ, medio juramento, quod juramentum dandorum dicitur, quo jurat actor se non animo calumniandi, sed juris sui tuendi causa, positiones tales exhibere.

Ex his positionibus, si quæ a reo negentur, fiunt articuli probatoriales, si ad quos probandos se actor offerre debet, cum enim responsiones ad positiones debeant esse simplices, puræ et absolutæ, ad rem pertinentes, et claræ, per verbum credo, aut non credo, etc., ut actor sciat quid sibi probandum sit, consequenter ad lites abbreviandas articulorum talium plurimus usus est. In quorum locum, si per viam inquisitionis ex officio a judice procedatur, certa quædam capitula proponuntur, super quibus suspectus est reus, et infamatus, ut ad ea respondeat.

Distinguuntur autem positiones istæ et articuli a litis contestatione, quod in his articulis et positionibus nihil a reo petatur, sicuti in litis contestatione, et libello : et quamvis etiam a judice interrogationes fieri possent, ab his tamen positiones et articuli differunt, quod positiones tales ab actore assertive fiant, interrogatio, v. g., a judice interrogative.

VI. Quod per exceptionem dilatoriam, qua judex tanquam incompetens recusatur, aut qua actori opponitur, quod non possit stare in judicio, litis contestatio non inducatur, certum est, quia tales exceptiones non animo litigandi, sed potius animo litem declinandi, opponuntur : sed neque per oppositionem exceptionis peremptoriæ inducitur litis contestatio, cum, in tali casu, qui taliter excipit, non respondeat ad actoris petitionem, cum tamen litis contestatio per talem responsionem fieri debeat. Negari tamen non potest, quod per exceptiones dilatorias impediatur quidem, et retardetur litis contestatio, nisi per non oppositas illas ante litis contestationem, videatur his pars litigans renuntiare, aut judicis jurisdictionem in se prorogare ; per exceptionem tamen peremptoriam ante litis contestationem objectam, non impe-

ditur litis contestatio, nisi de re judicata, aut lite finita reus excipiat, vel de juramento a parte parti delato, aut facta legitima inter partes transactione.

VII. *De effectibus* litis contestationis. Plures sunt illius effectus. Primo enim per litis contestationem partes litigantes ex mutuo consensu ad hanc instantiam judicii obligantur, ut neutra pars altera invita a judicio recedere possit. Secundo, judex recusari non potest post litis contestationem, nisi ex nova suspicionis causa superveniente. Tertio, non possunt amplius post litis contestationem opponi exceptiones fori declinatoriæ, aut similes dilatoriæ, quibus renuntiatum videtur. Quarto, interrumpitur per litis contestationem præscriptio longi temporis. Quinto, revocari non potest post litis contestationem procurator, nec libellus mutari, etc.

TITULUS II.

DE MEDIO LITIS, SEU DE ORDINATIONE ET PROBATIONE PROCESSUS JUDICIARII.

Hunc titulum in duplicem tractationem dividemus 1ª erit de litis *ordinatione;* 2ª de *meritis causæ.*

DISSERTATIO PRIMA.

DE LITIS ORDINATIONE.

CAPUT PRIMUM.

DE DILATIONIBUS.

I. Dilatio in genere aliud non est, quam indultum, seu concessio temporis, inter quod aliquid agi potest. Alia est judicialis, alia extrajudicialis, prout ad actum aliquem judicialem agendum, vel extrajudicialem conceditur; et judiciales, de quibus hic sermo est, sunt aliæ legales, quæ a lege, statuto, consuetudine, vel

stylo curiæ conceduntur; aliæ conventionales, quæ ex partium conventione, seu consensu dantur; aliæ stricte dictæ judiciales, quæ a judice, pro tribunali sedente, causa cognita, et utraque parte præsente, in judicio dantur, longiores et breviores pro diversitate circumstantiarum, prout etiam judicis est, legales nonnunquam restringere, vel prorogare. Et sicuti tres sunt judicis partes : prima a citatione usque ad litis contestationem inclusive, secunda a litis contestatione usque ad sententiam definitivam exclusive, tertia a sententia usque ad ejus executionem inclusive, ita dilationum etiam judicialium tres sunt species.

II. De dilationibus quæ *ante litis contestationem* conceduntur. Sunt plures tales dilationes, primo quidem citatoriæ, quæ etiam vocantur exspectatoriæ, et dantur reo citato, absenti ad comparendum, et respondendum in judicio petitioni actoris, quæ quidem dilationes sua natura peremptoriæ non sunt; sed potest una concessa, altera ac etiam tertia concedi, quæ tandem peremptoria est; si tamen ratio aliqua exigat, potest prima statim cum termino peremptorio fieri, ita tamen commodum tempus ad comparendum determinando, ut tribus citationibus æquivaleat, vel saltem pars citata, abbreviato sine causa justa termino, non nimium gravetur, quo in casu appellare etiam posset (ad quam excludendam consultum est, ut si dilationem abbreviet judex, causam illius exprimat, et peremptoriæ citationi inserat), aut jus domum revocandi haberet in causa privata, et novas dilationes petendi, si ex loco remoto in publica causa etiam citatus fuisset.

Secundo, sunt aliæ deliberatoriæ dilationes, quæ dantur reo post oblatum libellum, ut deliberare possit, utrum litigare velit; et plerumque sunt viginti dierum deliberatoriæ hæ induciæ a die porrecti libelli. Quæ

tamen deliberatoriæ dilationes quandoque negari possunt, si per litteras citatorias, quibus tota petitio actoris inserta fuit, sufficienter instrui possit reus.

Tertio, sunt aliæ recusatoriæ, seu declinatoriæ, quæ ad omnes exceptiones dilatorias opponendas dantur, priusquam fiat litis contestatio, quales dilationes sunt, quæ recusant judicem, quæ rescriptum impugnant, etc.

III. De dilationibus quæ *post litis contestationem*, vel *ante sententiam definitivam*, vel *post illam* conceduntur, et de prorogatione, atque effectibus dilationem. In secunda judicii parte post litis contestationem, et juramentum calumniæ præstitum, conceduntur, dilationes probatoriæ et allegatoriæ.

Probatoriæ sunt, quæ dantur actori ad positiones et articulos probatorios formandos, vel reo ad respondendum ad eos; item ad testes vel instrumenta quærenda, aut præparanda, adeoque ad probandam suam intentionem et exceptionem; et quamvis in causis pecuniariis aut civilibus regulariter unica tantum detur (nisi ob justum impedimentum a parte litigante allegatum et probatum, tertiam, vel etiam quartam: nunquam tamen, quintam judex indulgeat cum solemnitate legali, sive post probatam petendi causam, et præstitum a parte petente juramentum, quod malitiose non petat dilationem talem), in causis tamen criminalibus, ubi majus vertitur præjudicium, accusatori duæ, reo autem tres tales dilationes ex quacunque causa, etiam nullo allegato impedimento, concedi possunt (modo absit præsumptio, qua malitiose tales dilationes petuntur), si tamen partes tales dilationes petant. Sunt autem ordinarie trium, sex, aut novem mensium hæ dilationes, pro circumstantiarum diversitate arbitrio judicis definiendæ, ita tamen ut inter actorem et reum servetur æqualitas.

Allegatoriæ vero dilationes sunt, quæ dantur partibus, post probationes et exceptiones auditas, ad allegandum ultra quid, si velint; debet enim post auditas probationes interrogare partes judex, num ulterius aliquid allegare velint, et ad has allegationes producendas concedendæ sunt partibus tres dilationes, quarum quælibet triginta dies, sive mensem continet.

In tertia parte judicii conceduntur dilationes definitoriæ et executoriæ. Definitoriæ sunt, quæ dantur ad causam definiendam, statuto scilicet certo tempore, quo ad audiendam sententiam partes comparere debeant; executoriæ dilationes sunt, quæ dantur reo per sententiam condemnato, ad solutionem, v. g., faciendam, quod tempus ordinarie quarta mensium esse solet, ita tamen ut a judice abbreviari aut prorogari possit, quæ quidem dilationes executoriæ in actionibus realibus aut criminalibus raro locum habent, cum statim executio in talibus casibus fiat, nisi per accidens executionem talem quid impediat.

Prorogatio dilationis tum censetur fieri, quando dilationis labentis, nondum tamen elapsæ, fit extensio, quo in casu prior dilatio adhuc durare dicitur, et lapso prorogatæ etiam dilationis termino, nova censetur fieri dilatio, quæ concedi non potest sine aliqua causæ cognitione, utrum scilicet causa concedendæ dilationis sufficiens sit, etc. Prima tamen probatoria dilatio non potest prorogari, quia superest secunda, tertia et quarta, allegato et probato justo impedimento. Effectus dilationis præcipuus est, quod, ea pendente, officium judicis conquiescat, neque quidquam agendum sit, aut innovandum super articulo, seu capitulo, super quo data est dilatio; nisi pars litigans, cui concessa fuit dilatio, hac nondum finita, agat in causa sua, et in hac, non obstante dilatione, nondum finita procedat.

CAPUT II

DE ORDINE COGNITIONUM.

I. Si plures quæstiones in idem judicium conveniant et deducantur, de qua prius cognoscendum sit, potissimum hic dubitatur, et hinc est, an prius discutienda sit quæstio consanguinitatis, quam super matrimonio pronuntietur? Ex *c. Intelleximus,* 1, *h. t.*, decidendum hoc est, ubi mulier in maritum petiit aliquem, eo quod cum eo contraxisset, et super hoc testes produxit; vir tamen hoc negavit consanguineum illius esse se in gradu prohibito probans; quæ viri exceptio, quam questionem incidentem dicunt, prius dijudicanda a pontifice dicitur, quam causa principalis matrimonii. Ex qua pontificis decisione inferunt communiter peremptorias exceptiones, quæ justitiam causæ principalis concernunt, per quas actio omnino excluditur ipso jure, seu potius nunquam nata ostenditur, prius dijudicandas, quam de causa principali cognoscatur, cum illa probata clarum sit, nullum jus competere in causa principali actori, et consequenter etiam hac exceptione probata, super causa principali indirecte saltem cognita judex pronuntiare potest, et debet.

Si vero apposita exceptio non tam justitiam causæ perimat, quam processum ordinarium judicii impediat, qualis est exceptio litis finitæ, rei transactæ, etc., quales exceptiones emergentes dicunt, non tantum prius cognosci debet talis exceptio, quam causa principalis tractetur, sed prius etiam super ea pronuntiari debet, ut appareat utrum procedi ulterius debeat.

II. Quomodo, seu quo ordine procedendum sit in causa, seu *quæstione spoliationis?* Colligitur responsio ex *c. Cum dilectus,* 2, *h. t.*, ubi pontifex dicit : Si reus

contra actorem spoliatorem agentem super spolio, vicissim spoliationem objiciat, distinguendum esse utrum quæstio spoliationis per modum actionis proposita fuerit, ad restitutionem petendam, vel utrum proposita fuerit per modum exceptionis, ad intentionem adversarii repellendam.

Prius si fiat, censebuntur mutuæ actiones, sive conventio et reconventio, et juxta modum mutuarum talium petitionum pariter tractandæ, et una sententia terminandæ sunt; ita tamen ut in conventione semper priorem locum habeat conventionis causa, quæ prius in judicium deducta fuit; si vero per modum exceptionis opponatur spoliatio ad impediendum, vel differendum processum judiciarium, donec restitutio facta sit, prius de exceptione spolii, velut de dilatoria exceptione, quam de causa principali cognoscendum est, cum reus in tali casu non teneatur actori respondere, priusquam restitutio facta sit. Et quamvis actor condemnari non possit ad absolute restituendum, cum exceptio non fiat ad impetrandam restitutionem, sed ad excludendam tantum actoris petitionem, condemnari tamen potest ad restitutionem sub conditione, si scilicet ulterius agere velit.

Sunt tamen etiam plures casus, in quibus exceptio spoliationis contra spoliatorem opponi non potest, si scilicet periculum sit in mora, si præcise officium judicis imploretur; si spoliatus conveniatur ex promissione juramento firmata, in causa matrimoniali, et aliis spiritualibus; si factum sit notorium, etc.

III. An, et qua ratione, si in judicio incidat *quæstio præjudicialis* ipsi causæ principali, prius de causa, seu quæstione incidente cognoscendum sit, quam de causa principali? Si in causa ad judicem sæcularem deducta quæstio incidat, quæ quidem ad forum ecclesiasticum

pertinet, sine hujus tamen decisione in causa principali pergi non potest, non debet prius judex sæcularis cognoscere super causa principali, quam illa incidens quæstio a judice ecclesiastico decisa fuerit, cum ab hujus decisione dependeat illa, ita ut judicis sæcularis, quoad causam principalem, suspensa maneat jurisdictio, dum a judice ecclesiastico hæc præjudicialis incidens decisa fuerit, ad cujus tribunal tunc quæstio incidens ratione spiritualitatis pertinet. Quinimo in causis per se et ex objecto suo spiritualibus seu ecclesiasticis, potest judex ecclesiasticus, vel ex proprio motu, vel ad instantiam partis inhibere judici sæculari, ne in causa principali agat aliquid, antequam incidens illa decisa fuerit.

Quod si tamen causa principali coram judice sæculari jam mota, quæstio præjudicialis incidat ad forum civile pertinens, potest quidem judex sæcularis etiam de hac incidente quæstione cognoscere, si non excedat illius jurisdictionem; prius tamen de ea judicare debet, quam de causa principali, cum illa probata locum non habeat causa principalis.

CAPUT III.

DE CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS.

I. *Quid, et quotuplex sit possessio;* et quomodo a proprietate differat, et quæ sint commoda, seu privilegia possessionis? Possessio communiter definitur in genere, quod sit rei corporalis apprehensio, seu detentio, animi, corporis et juris adminiculo. Dicitur primo apprehensio, seu detentio, vere scilicet manibus apprehendendo rem, pedibus insistendo, fundando, vel ficte, juris scilicet fictione, juxta quæ jura visione nonnunquam in certis circumstantiis, aut signi alicujus ap-

prehensione, etc., res aliqua possideri inchoatur, et dicitur. Dicitur secundo rei corporalis : incorporalium enim rerum, uti sunt jura proprie juxta juristas, non est possessio, sed tantum quasi possessio. Dicitur tertio corporis et animi adminiculo, scilicet : licet enim ad continuandam nonnunquam possessionem non requiratur corporalis detentio, ad acquirendam tamen, et inchoandam possessionem, corporis et animi adminiculum requiritur, et alterum sine altero non sufficit. Dicitur quarto juris adminiculo : non quod omnis possessio justa sit, sed quod jus tali possessioni non resistat positive, sicuti resistit, quo minus laici res spirituales possideant.

Dividitur autem possessio potissimum in civilem et naturalem; hæc corporalis possessio est, si sit a civili sejuncta, casu quo, v. gr., unus rem aliquam ut suam possidet in absentia alterius, qui tamen corpore quidem absens est, animo tamen rem suam possidere pergit; et illa si a naturali sejuncta est, solo animo, absque corporali detentione retinetur, in casu, v. gr., quo quis a rebus suis absens est, nec per se, nec per alium corpore res illas detinet, animum tamen nunquam abjecit res eas possidendi, etc. Perfectissima possessio est, quæ utrumque conjungit, prout loquitur possessionis definitio. Sunt quidem et aliæ divisiones possessionis : sic alia justa, alia injusta dicitur; alia bonæ, alia malæ fidei; alia vera, alia colorata et apparens; alia violenta, alia clandestina, etc., quæ tamen divisiones, quia alibi explicantur, vel per se claræ sunt, ulteriorem declarationem non exigunt.

Differt autem in pluribus a proprietate possessio. Primo enim proprietas idem est, quod dominium, aut quasi dominium; possessor autem sæpe nullum rei, quam possidet, dominium habet. Secundo, proprietas

nonnunquam acquiritur solo animo, ante apprehensionem rei, v. g. : possessio vero solo animo, sine omni apprehensione vera vel ficta, acquiri non potest; e contrario vero solo animo amittitur possessio, non autem dominium. Tertio, possessio ex pluribus causis haberi potest, dominium vero non nisi ex una acquiri potest. Quarto, potest fieri ut per traditionem cum justo titulo acquiratur rei dominium, non autem possessio, si alter scilicet rem illam, quamvis injuste detineat, etc.

Commoda autem, seu privilegia possessionis etiam plura sunt. Primo, quod possessor bonæ fidei, si alia necessaria præscriptioni accedant, præscribat rem, quam possidet. Secundo, quod in dubio num res sua facta sit, nec ne, si dubium tale præscriptionis tempore occurrat, juvare se possit ad rem retinendam titulo possessionis. Tertio, quod jus habeat administrationis, si rem bona fide possidet. Quarto, si rem, quam bona fide possederat, bona fide absumpserit, ad plus non tenetur restituendum, quam inde locupletior factus est. Quinto, non censetur princeps dare privilegium, aut beneficium cum præjudicio alterius in possessione existentis.

II. *Quibus modis* possessio acquiratur, vel amittatur? Rerum corporalium possessio acquiritur per apprehensionem talis rei veram, vel fictam; ita tamen ut necessarium non sit, quamlibet partem rei alicujus, plures partes conjunctas habentes, apprehendere, ut vera sit apprehensio, sed sufficiat unam, v. gr., partem domus, animo possidendi, totam domum ingressum fuisse; et ficta apprehensio fieri possit per varios modos, qui a jure approbantur, qui a civilistis peti possunt. Rerum incorporalium possessio acquiritur primo per exercitium talis juris, sciente et patiente antiquo

possessore, contra quem jus acquiritur, ita tamen ut ad possessionem talis juris acquirendam unus nonnunquam actus sufficiat, si raro, v. g., et non facile talis usus ex gratia concedatur, nonnunquam plures actus, et res ex variis circumstantiis colligi debent; semper tamen requiritur exercere talem actum, non ex gratia tantum alterius, sed ex jure quasi sibi competente.

Amittitur autem possessio solo etiam animo non possidendi, ut si quis ex fundo suo habeat, animo eum non possidendi, amittit fundi illius possessionem, non quidem quod corporalem illius, sive naturalem possessionem non retineat, eo quod ex eo corporaliter discedat, sed quod animum non amplius habeat, fundum talem ut suum retinendi, quo animo abjecto, civilem etiam possessionem amittit : amittitur autem possessio immobilium rerum, si fundum, v. g., quem corporaliter occupatum non repetis amplius, vel repulsam passus, nihil ulterius agis; mobilium vero, si ignorante etiam te, rem tuam mobilem, hac in posterum ut sua utendi, eripit aliquis.

III. De judiciis, seu *remediis possessoriis in genere et in specie,* coram quo judice institui debeat judicium possessorium in rebus spiritualibus? Triplex in genere judicium, seu remedium sive interdictum est possessorium adipiscendæ scilicet possessionis, quam nunquam habuisti; retinendæ, in qua turbaris; et recuperandæ, quam habitam amisisti. Quæ interdicta, sicuti pluribus explicant civilistæ, ita ab illis ulterior subdivisio, et explicatio petenda est. Videri etiam potest auctor Method., hoc loco.

Illud hic adhuc advertendum, si judicium possessorium adipiscendæ, vel recuperandæ possessionis circa spiritualia vel quasi spiritualia, instituatur, circa beneficia, v. g., jus patronatus, decimas, etc., quæstio

sit de jure possidendi, tum apud judicem ecclesiasticum controversia talis institui debet, cum sit de jure spirituali quæstio. Si vero de solo facto turbatæ, v. g., possessionis, vel expulsi ex possessione clerici foret controversia, contra laicum turbatorem, aut repellentem, etc., etiam coram judice laico agi poterit, cum quæstio hæc facti mixti ut sic fori sit, nisi illi admixta sit quæstio juris, prout frequenter fieri solet.

IV. An causa possessionis et causa proprietatis apud eumdem judicem tractari debeat? Affirmative respondetur, ut ne causæ continentia dividatur, et causæ connexæ inter se facilius expediantur; nisi vel litigantes sint omnino diversi fori, vel judex de utraque causa possessionis, et proprietatis, cognoscere non possit : et quamvis communiter dicatur, nihil commune habere possessionem cum proprietate, intelligi tamen hoc non debet, quoad cognitionem judicialem, sed quoad substantiam et essentiam utriusque. Et hinc cui delegata est in genere causa cognoscenda, vel in specie causa proprietatis, intelligitur etiam causa possessoria illi delegata.

Aliud autem est, si cui commissa sit causa possessionis cognoscenda, hic enim super causa proprietatis cognoscere non potest (nisi per viam reconventionis, si hæc locum habeat), quia mirum non est, si proprietas, velut magis dignum, trahat ad se possessionem, non autem vice versa possessio minus dignum, proprietatem.

V. An, et quomodo causæ possessionis et proprietatis possint cumulari in judicio, et quo ordine tractandæ sint? Simul tractari posse in eodem judicio causam proprietatis et possessionis (si moveatur interdictum adipiscendæ aut recuperandæ possessionis, non autem, si retinendæ tantum moveatur, quod cu-

mulari cum petitorio ordinarie non potest), ita tamen ut judex receptis probationibus super utraque causa, prius examinare possit probationes super causa possessionis, illamque terminare, nisi de utroque liqueat, in tali enim casu, utraque causa debet simul una sententia terminari, ita tamen ut prius pronuntietur super possessione, in executione tamen proprietas prævaleat, quia in pronuntiando servatur ordo, qui habitus fuit in cognoscendo; et in executione absorbet effectum sententiæ latæ pro possessione proprietas.

VI. Qua ratione spoliatus instituere possit judicium possessorium, et petitorium coram eodem judice? Spoliatus, qui possessorio et petitorio judicio simul agit (quamvis non semper consultum sit, ut possessorium simul cumuletur cum petitorio), si possessionem et spoliationem probet, non autem dominium, seu proprietatem, obtinet in possessorio, eique restituenda est possessio, non autem in petitorio (quia possessionem et spoliationem probavit, non autem dominium, et ab una possessionis ad alteram causam proprietatis velut distinctam non sit bona illatio).

Et qui ab initio agit judicio petitorio, de proprietate, sive rei vindicatione, potest, si necdum in causa conclusum sit, suspenso judicio petitorio, interdictum possessorium adipiscendæ, vel recuperandæ possessionis intentare, non autem postquam in causa conclusum est, nisi judici ex justa causa id expedire visum fuerit, si petitorii probationem non videatur posse evincere, ut tamen via fraudibus non aperiatur. Quinimmo etiam post sententiam in petitorio latam, quia alter in probatione dominii defecit, potest hic transire adhuc ad possessorium, et e contrario ad petitorium a possessorio, quia sunt distincta et separabilia judicia, quæ quoad hoc nihil commune habent.

Hæc autem, quæ dicta sunt de utriusque judicii cumulatione, locum etiam habent in causis beneficialibus. Etiamsi ad Papam appellatum fuerit a causa proprietatis, v. gr., ita tamen ut etiam ea advertantur.

CAPUT IV.

DE CONTUMACIA.

I. *Quid, et quotuplex sit contumacia*, et quibus modis quis constituatur contumax? Contumacia est inobedientia a legitime vocato contra judicem in illis, quæ ad judicium pertinent, commissa. Et quamvis pluribus modis committatur contumacia, duplex tamen communiter dicitur esse contumacia, vera, et ficta, seu interpretativa, aut præsumptiva. Vera contumacia committitur, cum quis coactive legitime citatus, ad cujus notitiam facta citatio etiam pervenerit, tamen non comparet, quamvis nullum legitimum impedimentum obsit.

Præsumpta, seu ficta est, cum quis per edictum legitime citatus, de quo tamen dubium sit, utrum ad illius notitiam pervenerit citatio, non comparet; præsumitur vero hic talis a jure contumax, nisi postea notam purget, et justam causam alleget, ac probet, cur non comparuerit : neque tamen ex sola non comparitione constituitur quis contumax, sed ex eo etiam, si malitiose se absentet, aut abscondat, ne ad eum perveniat citatio, si compareat quidem, infecto tamen negotio sine judicis licentia discedat, non rediturus ad judicium; si actor venit quidem ad judicium in termino citationis, actionem tamen, aut suæ actionis libellum nullum edit, vel non prosequitur litem, si reus non respondeat ad omnes articulos ab actore propositos, vel obscure tantum, et nihil categorice res-

pondeat, si non probent allegata et deducta, vel non pareant mandatis judicum in illis, quæ ad causam pertinent, si executionis sententiæ repugnent, etc., quibus in casibus ad instantiam partis contra contumaciam procedi potest a judice.

II. *Quomodo procedendum* sit contra actorem contumacem? Si actor post oblatum libellum contumaciter absit, et legitime citatus non compareat, ad contestandam et prosequendam litem, potest judex de jure canonico (quidquid sit de jure civili, juxta quod plures dilationes, et annus integer actori ad comparendum indulgetur ante litem contestatam), auditis et receptis testibus rei præsentis, et hoc petentis, si causa illius rite probata fuerit, ad sententiam definitivam procedere, vel si de causa rei non liqueat, absolvere hunc ab hac instantia, ne scilicet ex contumacia sua post litem captam commodum aliquod habeat contumax actor, qui cum ad litem provocaverit, merito contra se pati debet rei probationes, et judicis sententiam, cum tamen hoc de reo, qui invitus ad litem trahitur, quamvis contumaciter absit, dici non possit.

Conceditur quidem actori si post terminum citationis, ad quem reum adesse voluit, et comparuit hic, actore non comparente appareat, quod reum iterum citare velle possit, non vult tamen audiendum eum pontifex, nisi prius legitimas expensas, quas adversarius ob ejus absentiam facere debuit, solvat, et cautionem sufficientem præstet, quod in termino constituto sit compariturus, cum pars innocens damnum pati non debeat propter alterius malitiam, neque credi possit illi sine cautione sufficiente, qui semel in comparendo malitiosus fuit.

III. Quomodo procedendum sit contra reum contumacem, spectato præcipue jure canonico? Si reus post

litem contestatam sit contumax, tum vel liquet de causa, et ferri debet sententia definitiva : vel non liquet, et actor mitti debet in veram possessionem, reservata tamen reo absenti quæstione proprietatis, pœnam majorem constituente jure, ubi major contumacia est, nolente tamen, ut de quæstione, cujus cognitio habita non fuit, sententia feratur.

Si tamen ob contumaciam rei per primum decretum, rei servandæ causa in possessionem missus sit actor, et hanc intra annum ob potentiam adversarii, v. g., consequi non possit, nihilominus tamen elapso anno verus rei illius possessor efficitur, ne melioris conditionis sit contumax quam obediens. Non amittit tamen reus contumax de canonica æquitate suam possessionem veram, si intra annum compareat, ac cautionem præstet, quod in jus vocatus comparere velit, et interesse competens præstet illi, cujus interest, quod in tempore non venerit.

IV. *De aliis quibusdam pœnis, et modis* quibus contumacia rei punitur, aut coercetur. Potest nonnunquam judex ob rei contumaciam, spectatis variis circumstantiis, actorem non mittere in possessionem rei petitæ, sed hanc sequestrare, et contumacem in expensas a tempore citationis factæ condemnare ab actore factas ob rei contumaciam, non quidem ad exitum usque causæ, cum reus, quamvis contumax sit, non debeat ante sententiam commodo suæ possessionis spoliari, sed usque dum ponatur contumacia in vicem missionis in possessionem ex primo decreto, succedente sequestratione.

Subinde tamen etiam contumacia rei punitur suspensione ab officio et beneficio, ac crescente contumacia etiam excommunicatione, et si malitiose actori suam intentionem probanti peremptoriam exceptionem

opponat, quam non probat, in continenti, vel expensas actori solvere tenebitur, vel si non possit, arbitrio judicis puniendus est, ut ne injuria fiat actori, qui suam intentionem probavit.

V. *Quomodo citandus sit reus contumax absens*, si non reperiatur; et an etiam appellans, et recedens ante sententiam definitivam, iterum citari debeat; et utrum appellans ab interlocutoria postea possit a sententia definitiva contra se lata iterum appellare? Sufficit in casu, quo personaliter citandus reperiri non potest, ad incurrendam contumaciam, si edictum citationis affigatur in publicis valvis ecclesiæ, vel curiæ, vel ad domum illius, ubi solitus est habitare. Etiamsi unica tantum peremptoria citatio fuerit, si autem citatus ad totam causam ab interlocutoria, aut alio gravamine, ante sententiam definitivam, recesserit, aut ad superiorem appellaverit, non debet iterum necessario a judice inferiore citari ad sententiam definitivam (quia per appellationem talem, aut recessum tacite saltem contra talem judicem protestatur), nisi appellans, v. g., facti pœnitens appellationi sponte renuntiaverit, sed potest ad causam definiendam, eo etiam non citato, procedere, si causa appellationis illegitima fuerit.

DISSERTATIO II.

DE ACTORIS ET REI JURE PROBANDO.

Expeditis variis quæstionibus quæ in judicium incidere solent et debent antequam ad causam principalem deveniatur, nunc ad hanc ipsam causam principalem tractandam progredimur: agemus ergo : 1° de petitione actoris seu de probationibus; 2° de exceptione rei.

CAPUT PRIMUM.

DE PROBATIONIBUS.

ARTICULUS PRIMUS.

De confessis.

I. Confessio, de qua in hoc titulo agitur, aliud non est quam illius, quod ab adversario intenditur in judicio, vel extra judicium facta asseveratio : et hinc duplex est confessio, judicialis alia, quæ fit in judicio , et alia extrajudicialis, quæ fit extra judicium. De utraque dicendum aliquid, prius tamen aliquid de judiciali confessione.

De requisitis ad confessionem judicialem, et quibus modis ea fiat? Requiritur , ut ea fiat in judicio coram judice competente, sedente pro tribunali , in causis requirentibus plenam causæ cognitionem. Et hinc si tantum coram notario fieret, etiamsi altera pars præsens adesset, judex tamen non adesset, vel esset judex in hac causa incompetens, aut summarie tantum procederet, confessio facta non haberet (saltem de jure, aliud enim circa confessionem coram notario factam, et ad protocollum receptam, consuetudo hodierna habere dicitur) vim confessionis judicialis. Secundo, requiritur , ut sit de re certa : incerta enim confessio sententiam parere non potest, quod tamen de confessione judiciali dicitur. Tertio, debet esse de re, quæ neque rerum naturæ, neque juri adversatur, alia enim confessio nec probabilis esset. Quarto, debet fieri præsente adversario, vel saltem ejus procuratore, vel saltem a judice, aut alio quopiam sit acceptata, modo absens ratam postmodum habeat acceptationem talem, cum parti hoc modo satis consultum sit. Quinto, requi-

ritur ut fiat sponte et libere : extorta enim metu, aut alia vi fidem non facit. Sexto, requiritur, ut fiat ex certa scientia : ignorantis enim confessio nihil facit; et revocari potest error facti usque ad sententiam, modo probari possit talis error ante latam sententiam. Septimo, requiritur, ut sit facta ab eo qui 25 annis major est; quamvis enim ejus qui minor est 25 annis, pubes tamen, confessio in judicio facta sine curatoris auctoritate valeat, læsus tamen in integrum restituitur intra quadriennium.

Fit autem confessio in judicio duobus potissimum modis, expresse scilicet : cum quis verbis expressis, seu voce confitetur rem aliquam; et tacite sive ipso facto, prout proferens instrumentum aliquod coram judice, tacite censetur omnia confiteri, quæ in illo continentur, et qui actum aliquem libere exercet, censetur omnia confiteri, quæ ad actum illum consecutive etiam pertinent, etc. Quæ tacita confessio sæpius ex juris interpretatione præsumitur, ita tamen ut contra eam admittatur probatio.

Et quamvis ex confessione rei simpliciter et pure facta, sine adjecta qualitate restringente, fundata maneat actoris intentio, si tamen confessioni a reo factæ qualitas aliqua restringens adjiciatur, et sit præsumptio aliqua juris contra eam, tum pro parte acceptari potest in præjudicium confitentis; vel nulla est præsumptio juris contra talem adjectam qualitatem, et tum in favorem rei confessio talis acceptari potest, si probetur adjecta qualitas, et unum tantum articulum contineat confessio; si enim plures articulos contineat, partim acceptari, partim repudiari posset; si pro uno articulo nulla pugnaret juris præsumptio, contra alterum vero haberetur juris præsumptio.

II. *An positio super facto negativo*, quæ aliter pro-

bari non potest, nisi per confessionem adversarii, sit admittenda? et quomodo puniri posset is, qui confitetur crimen contingens causam principalem, vel incidenter in judicio? Admitti possunt eæ positiones a judice, si suadente æquitate viderit expedire : quamvis enim stricto jure illud solum possit poni, quod probari potest, positio autem negativa, si non sit per circumstantias loci, et temporis determinata, directe per testes probari non possit, ut infra dicetur, potest tamen quandoque judex suadente æquitate, si ita expedire videatur, positiones tales negativas admittere (cum aliter sæpe causa expediri nequeat), quamvis cum clausula, salvo jure impertinentium, vel non admittendorum, positiones alias admiserit.

Ad posteriorem quæstionem responderi potest, quod si quis crimen contingens causam principalem confiteatur incidenter coram suo judice, reo tali tale crimen confitenti imponi quidem non possit pœna ordinaria. Possit tamen judex novum processum inchoare, et ex officio inquirere contra criminosum, qui taliter suum crimen confessus est, et producere priorem confessionem de commisso crimine, ad probationem delicti, et pœnam ordinariam inferendam.

III. *De effectibus judicialis confessionis*, et revocatione ejusdem. Effectus judicialis confessionis præcipuus est, quod non tantum plene probet, cum nulla sit major probatio, quam proprii oris confessio, sed faciat etiam ut confitens contra se habeatur quodammodo pro judicato, ita ut talis confessio habeat vim sententiæ, et rei judicatæ quodammodo (saltem in causis civilibus), quoad ipsum confitentem. Et quamvis non debeat pro confitente talis confessio admitti, cum nemo in propria causa testis esse possit, aut fidem plenam faciat, quia tamen contra se nemo præsumitur

temere fateri, hinc recte dicitur, per eam tolli omnem juris et de jure præsumptionem, notorium induci, et admittendam ac audiendam etiam, postquam in causa conclusum est, ita ut ex ea ferri possit sententia definitiva, quamvis processus propter ordinem juris non servatum nullus esset, neque regulariter taliter confessus appellare possit.

Plurimi tamen affirmant, etiam in hoc casu propriæ confessionis judicialis, sententiam judicis definitivam requiri, quæ ferri debeat contra confessum in judicio, cum judicium semel cœptum per sententiam dirimendum sit, et judex super causa, de qua cognovit, pronuntiare debeat, et hinc recte dicitur quodammodo pro judicato, et vim sententiæ judicatæ hanc confessionem habere, quam sententiam requiri etiam post confessionem spontaneam rei, in causis criminalibus, certum est.

Potest autem confessio a parte litigante in judicio facta, revocari ab eodem, si in continenti hæc fiat revocatio, et a parte adversa nondum sit plene acceptata confessio talis (quod enim per acceptationem adversario jus quæsitum fuit; invito hoc auferri non potest), ex intervallo vero revocari ea non potest, nisi error probetur, antequam sententia lata est.

IV. *An confessio unius criminosi facta in judicio præjudicet aliis*, ita ut ea admittenda sit, et probet etiam adversus alios socios criminis? Resp. negative, nisi aliis legitimis probationibus, vel per propriam confessionem, etc., reos eos esse constiterit, quamvis si infamia aliqua laborent, purgatio canonica illis indici possit : æquitate scil. ita eorum vitæ, v. g., consulente, ut tamen famæ eorum nihil adhæreat maculæ. Immo ordinarie et regulariter de criminis sociis, seu complicibus interrogari non debet reus de se in judicio cri-

men confessus, si nulla eorum præcedit infamia, aut indicia; eo ipso enim, quod crimen hic talis de se confessus, infamis, et vilis persona habeatur, nullius etiam fidei est illius contra alios testimonium, nisi crimina a jure sint excepta, uti sunt crimina bono publico valde perniciosa, crimen læsæ majestatis, crimen hæresis, crimen veneficii, seu magiæ, crimen latrocinii, et grassationis per vias publicas, crimen sacrilegii, simoniæ, falsæ monetæ, assassinii, furti, etc., in quibus de sociis interrogari permittunt, et jurari, uti etiam in delictis occultis, et difficilis probationis, in quibus de veritate constare vix potest, nisi per socios, quale crimen est crimen conjurationis et conspirationis contra superiorem, etc., et in delictis, de quibus ex natura rei, vel ex circumstantiis constat, quod absque alterius mandato omissa non sint, aut sine socio committi non possint, nec soleant, etc.

Ut autem in his etiam casibus juridice judex de sociis inquirere de se confessum possit, primo requiritur ut judex non interroget in specie, de hoc vel illo, etc., sed tantum in genere (ne videatur judex non tam inquirere de sociis criminis, quam suggerere contra quos fateri debeat), nisi legitimæ præsumptiones contra certam aliquamper sonam pugnarent. Secundo, requiritur ut talis denuntiatio sociorum per torturam confitentis etiam confirmetur (ut ne varius et vacillans in tali denuntiatione videatur), quam postea a tortura liber sponte ratificet. Tertio, requiritur ut juramento confirmet denuntiationem socii criminis, quia testi sine juramento deponenti, nec in civilibus, nec in criminalibus habetur fides, nisi contraria alibi consuetudo aliud habeat. Quarto, requiritur ut denuntians socium criminis, nullam cum hoc gerat inimicitiam, ut ne vindictæ potius causa, quam veritatis amore videatur

denuntiare. Quinto, requiritur ut in suis denuntiationibus contra socios criminis sit constans criminosus, ne vacillando suspectam merito faciat denuntiationem. Sexto, requiritur ut reus de se confessus, præter hanc criminis infamiam non sit aliunde infamis, et testimonio ac fide indignus, cum hæc jura, quæ de sociis criminosum de se confessum interrogari permittunt, a communi regula negante exorbitantia strictæ sint interpretationis, et ad aliter infames non extendenda. Et septimo denique requiritur ut denuntiatio talis facta a criminoso sit adminiculata aliis conjecturis, et non nuda assertio criminosi, ne præjudicium patiantur ex tali denuntiatione multæ personæ honestæ, prout pluribus mox dicetur.

V. Utrum confessio, vel denuntiatio facta a criminoso de sociis criminis, sola absque aliis indiciis sufficiat, ut judex ex officio procedere possit ad specialiter inquirendum, citandum, capiendum personas denuntiatas? Resp. non sufficere solam denuntiationem in criminibus non exceptis, nullo alio concurrente indicio, ut judex possit de persona denuntiata specialem inquisitionem instituere; cum enim in his criminibus juridice interrogare non possit reum de sociis criminis, consequenter facta ad eum inquisitio illegitima erit, velut facta contra prohibitionem utriusque juris, nisi secundum consuetudinem particularem tribunalium talis a reo socii facta denuntiatio, non tam ut testis depositio, quam ut denuntiatoris reciperetur, qui judici viam aperit ad inquirendum.

In criminibus vero exceptis, in quibus legitime potest de sociis criminis interrogari criminosus de se confessus, si alio indicio verosimili denuntiatio ipsius adjuvetur, publica infamia, v. g., personæ denuntiatæ, vel quod familiariter cum criminoso egerit, quod alte-

rius etiam criminosi accedat denuntiatio , etc., potest judex non tantum ad specialiter inquirendum, sed ad citandum etiam, capiendum denuntiatum procedere, non tamen ad condemnandum, nisi certæ probationes et indubitatæ intervenerint.

VI. *De confessione extrajudiciali, ejusque effectu.* Confessio extrajudicialis, parte præsente facta, et cum speciali causæ expressione, in causis civilibus, plene probat in judicio contra confitentem , si duobus testibus probari possit ; parte vero absente facta , aut causa nulla speciali expressa, vel nihil probat, vel tantum semiplene contra confitentem. Nisi in priore casu evidenter errasse se, pars confitens probet, aut per exceptionem non numeratæ pecuniæ, v. g., elidi possit confessio, aut fiat tantum per verba narrativa, etc.; et in posteriore casu, nisi in instrumento facta sit confessio, aut testamento, vel alia ultima voluntate, aut juramento confirmata sit, aut fuerit geminata non uno tantum tempore, sed ex intervallo, vel facta fuerit non ad obligandum, sed liberandum ab obligatione , etc. ; his enim in casibus plenam probationem facit, etiamsi pars adversa confessioni tali non adfuerit , aut specialis causa expressa non sit.

In causis vero criminalibus, confessio extrajudicialis indicium tantum sufficiens facit ad torturam, si in judicio contra confitentem producatur , non quidem quasi sufficiens indicium faceret ad torturam tertii , cum vix sufficiat ad indicendam purgationem canonicam, sed ad torturam , et in præjudicium confitentis , nunquam tamen confessio talis plenam, aut semiplenam probationem facit ad condemnationem.

ARTICULUS II.

De probationibus.

VII. *Quid, et quotuplex sit probatio?* Recte definitur probatio in genere, quod sit actus judicialis, quod per instrumenta, aut testes, aut idonea argumenta de re controversa judici fit fides.

Dividitur autem primo in *artificialem*, quæ arte et industria probantis ex ipsa causa, et circumstantiis facti desumitur, et in semi artificialem, quæ a testibus, verb. grat., extra causam ad fidem faciendam assumitur.

Secundo, dividitur in *plenam et semiplenam* : plena plenam facit fidem de re in judicium deducta, ut ad sententiam ferendam judex plene instructus sit ; semiplena, quæ etiam imperfecta dici potest, est illa quæ aliquam quidem, non tamen plenam fidem judici facit, ut ex illo jure moveri possit ad sententiam ferendam pro hac vel illa parte, etc. ; addunt aliqui mixtam, quæ ex duabus semiplenis probationibus fit, quæ, si ad eumdem finem tendant, conjunguntur (saltem in causis civilibus) ad unam plenam probationem faciendam (sive sint ejusdem, sive diversi generis probationes), non autem si ad diversos fines tendant, cum, in illo casu, quæ singula non probant, collecta juvent. In hoc vero casu, cum ad diversa tendant, non possunt unum idemque probare.

Tertio, dividitur in *judicialem*, quæ fit in judicio post litis contestationem, a qua judicium stricte inchoare dicitur, et *in extrajudicialem,* quæ fit extra judicium, vel ante litis contestationem.

Quarto denique alia *juris*, alia *facti* probatio aliquibus dicitur, quæ si velit, quod jus aliquando probandum sit, aliquando vero factum, verum quidem dicit

de facti probatione; de juris autem probatione admitti non debet, cum ea, quæ juris sunt, non indigeant probatione, tanquam per se certa, et judici nota.

VIII. *Cui incumbat onus probandi, vel quis probare debeat.* Affirmanti incumbere onus probandi ordinarie communis regula docet, et hinc tam in civilibus, quam in criminalibus, tam in spiritualibus, quam temporalibus, etc., actor sive accusator probare debet suam affirmationem, et reus suam exceptionem affirmativam, nisi absolute ob præsumptionem juris pro actore totum probandi onus transferatur in adversarium. Vel nisi sponte in se receperit reus onus probandi, aut a judice juramentum probationis loco reo deferatur, quod accipere debet.

Et quamvis ille, qui absolute negat factum aliquod, non teneatur probare, eo quod negantis factum per rerum naturam (sive secundum cursum naturæ loquendo) nulla sit probatio, et non entis nullæ sint differentiæ, proprietates, definitiones, etc., ex quibus probationes desumi debent, potest tamen nonnunquam per juramentum proprium delatum, propositio etiam negativa probari; vel per præsumptiones, ita ut saltem onus probandi in adversarium rejiciatur; vel quod super negativa propositione fundat intentionem suam allegans; vel per negantis propriam confessionem, si tamen talis confessio probatio dici potest.

Quinimo, si propositio negativa facti determinata sit ad certum locum, tempus, vel alias circumstantias, potest probari saltem indirecte, circumstantias tales, quæ sub sensum cadunt, probando (et sic qui asserit se tali tempore in loco tali non fuisse, probat negativam, se non occidisse talem in tali loco, se cum hoc non contraxisse tali tempore, etc.); vel si propositio negativa facti prægnans sit, virtualiter saltem et

implicite propositionem affirmativam continendo, directe etiam ea probari potest, quomodo probat se non libere renuntiasse, qui probat coactum se renuntiasse; vel quando contra juris præsumptionem negatur in aliquo qualitas de jure requisita, quod probari debet, quia quilibet præsumitur esse idoneus, nisi contrarium probetur.

Sed quis probare debeat *in judiciis communibus*, et quomodo probationes utriusque partis litigantis fieri, et recipi debeant in interdicto retinendæ possessionis? In judiciis communibus, sive duplicibus (cujusmodi sunt hæc tria Familiæ herciscundæ, Communi dividundo, et Finium regundorum), uterque litigantium probare debet, quia quilibet simul actor et reus est : tamen qui prior ad judicium provocavit, magis actoris quam rei locum habet, et prior de calumnia jurare debet.

In interdicto retinendæ possessionis, quando utraque pars contendit se in solidum possidere eamdem rem, uterque reus et actor est, et utriusque partis probationes a judice recipi debent, tum possessionis, tum tituli, si offerant se ad illum probandum, ut exinde appareat, pro qua parte pronuntiandum sit, vel ut appareat quis habeat possessionem antiquiorem.

IX. Utrum reus teneatur *exhibere actori* ad probandam intentionem ejusdem, *instrumenta*, seu documenta contra se? et an actor, quando plene probavit, cogi possit ad jurandum? Reus in judicio conventus non tenetur exhibere propria instrumenta actori contra se ad fundandam illius intentionem (neque enim æquitas permittit, ut reus contra se actorem instruere cogatur), nisi instrumenta, quæ exhiberi petuntur, non tam sint propria unius, quam communia utrique parti, vel ratione proprietatis, vel ratione causæ, vel quando facta sunt pro cautione plurium, vel quod facta sint a per-

sona publica, ex publico officio, etc., quin etiam sua instrumenta reus edere debet actori petenti, si hic fundatam suam intentionem habeat, circumstantiam tamen aliquam, quæ intervenit, ignoret (cum in tali casu non petantur instrumenta ad principaliter impugnandum), vel si ipse reus suis in judicio instrumentis contra actorem utatur, et necessaria hæc sint ad actorem instruendum, utrum litigare velit, ad replicam formandam, etc., vel si ex speciali privilegio jus habeat ad petenda rei instrumenta, quale privilegium fiscus habet (saltem in causis civilibus), ecclesiæ, hospitalia, et alia loca pia, etc., et ex probabili causæ aliæ favorabiles (nisi contraria praxis obsistat), causæ usurarum restituendarum, causæ matrimoniales, et quando agitur de salute animæ.

Qui autem in judicio suam intentionem plene probavit, non potest compelli, ut id ipsum etiam juramento confirmet, non obstante contraria consuetudine, quæ non valet, cum in tali casu juramentum fieret absque ulla causa, quod illicitum, et irrationabile est, ita ut etiam licite possit actor juramentum judiciale sibi delatum recusare, si intentionem suam plene probavit, cum juramentum hoc adhiberi non debeat litis decisæ causa, sed litis decidendæ.

X. *Quomodo, quando et ubi facienda sit probatio, et quis sit finis illius, et effectus.* Fieri debet probatio secundum formam libelli, cum secundum illam pronuntiandum sit, et consequenter judex secundum libelli formam instrui debet, et moveri; et hinc clara etiam debet esse, et certa, et in quæstione speciei non sufficit probare genus, sed species probari debet, sive fiat in loco judicii, sive extra, ubi judex testes, v. gr., recipere vult.

Facienda autem est ordinarie post litis contestatio-

nem, ut supra dictum, ita tamen ut prius probetur actoris intentio, quam rei exceptio, cum actore non probante absolvendus sit reus (saltem ab observatione hujus instantiæ), etiamsi nihil egerit; neque post publicata testimonia, et postquam in causa conclusum est, admittenda est alia probatio super eisdem articulis (nisi super articulis de novo emergentibus, ut infra dicetur), cum per talem in causa conclusionem censeantur partes renuntiare ulterioribus probationibus.

Finis autem probationis est judici fidem facere, et ut intelligat hic, qualem sententiam ferre debeat, cui facienda est probatio, et hic secundum allegata et probata, sententiam ferre, ne litem faciat suam, condemnandus in id, quod litigatoris interest. Neque est contra probationem factam purgatio canonica admittenda, cum innocens ille in foro fori esse non possit, qui plene probatus est, esse nocens, ut sic crimina impunita relinquerentur, cum magno reipublicæ damno.

ARTICULUS III.

De testibus et attestationibus.

Potissima probationis species est, quæ fit per testes viva voce deponentes; sunt enim testes, qui de facto aliquo legitime vocati testimonium dicunt, attestationes vero sunt ipsorum depositiones; et quamvis testium alii sint judiciales, alii instrumentarii, alii testamentarii, hic tamen potissimum agitur de testibus judicialibus, qui ad rei alicujus controversæ fidem faciendam in judicio adhibentur, de quibus.

§ I. DE QUALITATE TESTIUM.

XI. *Quinam sint habiles, vel absolute inhabiles ad testificandum?* Testes generatim loquendo debent esse

idonei, et fideles, non conducti pretio. Censentur autem idonei, qui per canones vel leges non arcentur a testimonio ferendo, et plerumque dicuntur omni exceptione majores. Fideles autem hic dicuntur illi, qui fide digni sunt, et a moribus probati.

Pretio conducti censentur illi, quibus pro testimonio ferendo pecunia, v. g., etiam non petenti oblata fuit.

Prohibentur autem de jure, quo minus testimonium simpliciter ferre possint, primo impuberes, sive pupilli, qui ob infirmitatem judicii absolute a testimonio ferendo excluduntur (excepto crimine læsæ majestatis), quamvis puberes facti de illis, quæ tempore impubertatis, cum discretionem jam haberent, viderunt, possint testari. Secundo, excluduntur furiosi, quia mente carent, ita ut neque de illis testari possint, quæ furoris tempore contigerunt, quamvis ad se postmodum redierint. Tertio, excluduntur regulariter cæci, quia non sufficit semper in teste de auditu tantum, sed sæpe debet de visu deponere, nisi talia essent, de quibus testificari debet, quæ non visu, sed auditu percipiuntur. Quarto, excluduntur muti, et surdi simul, quia non possunt animi sui sensum commode exprimere. Quinto, non admittuntur ad testimonium ferendum servi stricte dicti (ne ex metu dominorum veritatem magis supprimant, quam aperiant), nisi in exceptis criminibus, in quibus etiam inhabiles testes admittuntur, quamvis non sint omni exceptione majores.

XII. An, et qua ratione *infames*, *criminosi, perjuri, accusati de crimine, vel excommunicati* repellantur a testimonio dicendo in judicio? Infames infamia juris inhabiles sunt ad testimonium in judicio ferendum, tam in criminalibus, quam civilibus; cum enim infamibus sint interdicti actus legitimi, testimonium autem ferre in judicio inter actus legitimos reputetur, consequenter

prohibiti hi illis erunt, ita ut nec contra alium eadem infamia laborantem, ut testis admittatur, nisi in causa criminum exceptorum, aut in subsidium veritatis, quæ aliter haberi non potest (ita tamen ut sine tormentis credendum illis non sit), vel famæ suæ sit restitutus, aut occulta tantum infamia laboret, aut infamia facti tantum, qui a judice ex officio, vel parte opponente a ferendo testimonio repelli potest.

Neque admitti debent ad testimonium in judicio ferendum criminosi de gravi crimine ipsis objecto convicti. Et quamvis si pœnitentiam egerit de crimine, et sit emendatus, in causa civili pro teste admittatur criminosus, si nulla juris infamia laboret; si tamen in crimine perseveret, nec in civilibus, ut testis admitti debet, cum non sit credendum contra alios illis, qui criminibus implicantur.

In criminalibus vero criminaliter intentatis, nec emendatus in testem admittitur, nisi post publicam, quæ saltem per triennium constanter jam duravit, pœnitentiam et emendationem, vel si ad probandam tantum innocentiam rei testimonium ferat; vel si pars litigans ad videndum testes productos nihil contra eorum crimina opponat, neque judex ex officio repellat, aut necessitas eos admittere jubeat, quamvis in nullo horum casuum omni exceptione majores.

Perjuri, qui falsum juramento confirmarunt, ad ferendum testimonium non admittuntur, nec in causa civili, nec in causa criminali, quantumvis sint emendati, et de perjurio pœnitentiam egerint (quia, qui semel pejuravit, præsumptionem contra se habet ad perjurium iterum committendum), ita ut etiam in criminibus exceptis perjuri in testes non admittantur, excepto crimine hæresis, in quo, in favorem fidei, etiam perjuri, tam contra se, quam contra complices,

ut testes admittantur, modo ex manifestis indiciis appareat, quod non ex levitate animi, aut odio, sed ex zelo justitiæ et amore fidei deponant.

Accusatus de crimine, gravi scilicet pendente accusatione, non debet admitti ad testificandum in alia causa criminali, præterquam in criminibus exceptis. Censetur enim, dum accusatio pendet, gravata illius existimatio, cum tamen testes in causa criminali debeant esse omni exceptione majores; ita ut nec pendente appellatione, si de crimine condemnatus appellavit, in causa criminali ad testificandum admittatur; quamvis accusatus admitti possit, ut testis, pendente accusatione in causis civilibus, vel civiliter actis, non tamen ut omni exceptione major faciens semiplenam probationem.

Excommunicati denique (majore excommunicatione) ad testificandum in judicio admitti non debent, quia inter infames numerantur. Ita tamen ut excommunicatus non toleratus sive vitandus a judice repelli debeat, etiam parte nihil opponente; si autem vitandus non sit, possit quidem judex a testificando eum repellere, si excommunicatio publice nota sit, non tamen teneatur nisi pars adversa de excommunicatione contra talem testem excipiat; quamvis enim hic vitari non debeat, sicut ille, et cum hoc communicare possit, non autem cum illo, pars tamen, cui favor hic factus est, ut cum excommunicato non vitando communicare possit, non tenetur hoc favore sibi concesso uti, et consequenter a testificando eum repellere potest. In crimine tamen hæresis, ob favorem fidei ad probandum hoc etiam excommunicati admittuntur.

XIII. Quinam prohibeantur ferre testimonium pro certis personis. Primo, non admittitur testis in judicio parens pro filio, aut filius pro parente, propter natu-

ralem amorem et affectionem; et hinc extenditur hæc assertio etiam ad matrem, ad omnes ascendentes in linea paterna et materna, ad filios naturales tantum, spurios et incestuosos, ad filios adoptivos, si in patris adoptantis potestate sit adoptivus, immo nec vitricus pro privigno, nec privignus pro vitrico testari potest, etc. Plures tamen etiam casus referuntur, in quibus filii pro parentibus, aut parentes in causis filiorum testes esse possunt, quos vide apud auctorem hoc loco relatos, quamvis non in omni casu sint semper omni exceptione majores.

Ob hanc tamen etiam naturalis affectionis rationem, nec maritus pro uxore, nec uxor pro marito testificari potest regulariter, nec sponsus pro sponsa, aut concubinarius pro concubina, nec consanguinei, aut affines, in causis criminalibus, vel civilibus arduis, pro consanguineo, aut affine in tertio saltem gradu, ut testes admittuntur, nisi modici tantum præjudicii causa civilis esset, aut in causa criminali ad necessariam rei defensionem, et ostendendam innocentiam adhiberetur illius testimonium, aut partes expresse contentæ essent, cum vel sit exigua erga alterutram partem testis talis affectio, vel utrique æque affectus sit, etc.

An, et in quibus casibus *testes domestici* produci possint, vel familiares, vel amici, et an etiam subditi possint testimonium dare pro suis dominis? Tripliciter dici possunt aliqui domestici. Primo stricte, sicuti se habent maritus et uxor, et nati ex illis liberi, et qui sunt sub patria adhuc potestate; de quibus, quod pro se invicem testes esse non possint, priore § dictum. Secundo domestici dicuntur in latiore sensu, omnes etiam famuli, et famulæ pretio, et mercede conducti, qui in eadem domo sub potestate unius patris-familias habitant, et hujus imperio aliquo modo subsunt. Tertio do-

mestici dicuntur in latissima tamen acceptione, qui in eadem domo simul convivunt, et convescuntur, quos alii appellant etiam familiares et commensales.

De secundi ergo generis domesticis loquendo, quod testes pro patre-familias aut domino esse non possint, nec in civilibus, nec in criminalibus, ob periculum scilicet, quod in tales personas facile cadit, ne dum dominis parere et favere volunt, falsum deponant, et pejerent. Si tamen desierit esse domesticus tempore depositionis, ita ut allata ratio locum in eo non habeat, repelli non potest, nisi fraus aliqua, quæ in illius dimissione præsumi posset, aut circa domesticum talem honestas et integritas omnem falsi suspicionem tollat; aut producatur tantum ad innocentiam domini accusati, vel suspecti probandam, aut sciens adversarius reus testes contra se productos esse domesticos actoris, nihil contra eos excipiat; vel sit utriusque partis domesticus, aut testetur pro domino contra alium domesticum, aut producatur a domino in causa difficilis probationis, in subsidium aliorum testium, qui haberi non possint, etc., quamvis in talibus etiam casibus non sint integræ fidei testes, et omni exceptione majores.

Tertii generis domestici, qui familiares et commensales dicuntur, possunt quidem produci, et admitti debent, ut testes in causis eorum, quibus in eisdem ædibus absque subjectione tamen aliqua convivunt, et in eadem mensa convescuntur, integri tamen omnino et omni exceptione majores non sunt, nisi maxima vitæ probitas omnem suspicionem tolleret. Pari modo amicus pro amico testari potest, de ipsius tamen fide magis, minusve dubitari potest, pro qualitate amicitiæ et judicis arbitrio : et quamvis idonei testes non videantur, quibus imperari potest, a producente eos, si pro producente testentur, si tamen imperare hic talibus tan-

tum possit ratione universalis alicujus jurisdictionis, admittuntur, cum tanta in tali casu suspicio esse non possit : omni tamen exceptione majores non sunt.

XIV. *An socius criminis*, vel bonorum, possit esse testis pro socio, vel contra illum? Quamvis universaliter loquendo pro vel contra socium criminis non debeat in testem adhiberi socius criminis juxta *c. Veniens*, 10, *h. t.*, eo quod talis sit vilis persona, infamis et criminosus, ac subsit periculum falsæ depositionis, etc., in illis tamen casibus, in quibus de sociis examinari potest reus, juxta superius dicta, etiam in testem admittitur, et depositio illius, sicuti alterius vilis et infamis personæ, fidem, sed valde exiguam, facit : prout etiam in crimine simoniæ fieri potest, si civiliter tantum, ad privationem scilicet beneficii agatur, et hic qui testatur, socius quidem criminis, non autem muneris fuit, nullum ex sua cooperatione emolumentum accipiendo.

Sicuti autem socius criminis non admittitur in testem pro socio bonorum, ad testificandum pro illo, sive sint socii omnium bonorum, sive partis tantum, aut rei particularis utrique tamen communis, quia ut sic in propriam utilitatem deponeret; secus tamen est dicendum, si non agatur de re utrique communi : in hoc enim casu socius in una re prohibetur esse testis pro socio in diversa re, aut pro re divisibili, cum ut sic nihil ex tali depositione specialis commodi haberet.

XV. *Qui prohibeantur dicere testimonium contra certas personas?* Primo prohibetur *inimicus* contra eum testimonium ferre, cum quo gerit inimicitiam, ita ut ne in criminibus exceptis hi possint contra tales esse testes (quia merito ob malevolentiam falsum depositurus præsumitur), si inimicitia sit valde gravis et capitalis, et nondum sit reconciliatus inimicus, neque sit fraude procurata inimicitia, aut non deponat in favorem ini-

mici, vel contra producentem, vel non sit utrique parti pariter inimicus, nec a parte, contra quam producitur approbatus, quamvis neque in his casibus sit omni exceptione major.

Secundo *laicus* in causa criminali, quæ criminaliter agitur, non admittitur regulariter ad testimonium ferendum contra religiosum, non tantum quia plerumque clericis infesti sunt laici, sed quia decens non est, ut statu inferior contra statum superiorem in causa criminali testimonium ferat. Et quamvis ad accusandum admittantur, si suam, vel suorum injuriam prosequuntur, neque tamen in his casibus ad testificandum, si criminaliter contra eos agatur, admittendi sunt.

Cum condemnatio non sequatur ex accusatione, sed ex probatione, excipiuntur tamen etiam crimina excepta hæresis, v. g. læsæ majestatis, sodomiæ, simoniæ, etc., aut alia notoria et scandalosa, in quibus laicus etiam contra clericum testari potest; prout etiam admittitur, si clericus sit de crimine infamatus; si aliunde veritas haberi non potest, si in favorem clerici deponat; si famæ tantum probatio necessaria sit; si de crimine agatur civiliter, vel si agatur per modum denuntiationis aut inquisitionis, etc.; neque tamen semper erit omni exceptione major.

Quin immo nec clericus in causa criminali criminaliter acta contra laicum testis esse potest, propter periculum irregularitatis incurrendæ, si agatur causa sanguinis; et quamvis in civilibus, aut si de crimine civiliter agitur, ubi nullum periculum est pœnæ sanguinis, contra laicum clericus testari possit; fieri tamen hoc debet coram proprio episcopo, vel cum hujus licentia coram judice sæculari, vel in causa ecclesiastica coram alio judice ecclesiastico.

Tertio *Judæi*, *pagani*, *hæretici*, aliique infideles, et

qui a fide catholica defecerunt, ad testificandum contra fidelem catholicum idonei non sunt; quia sunt de falsitate ex juris præsumptione suspecti, neque fidem merentur, qui fidem abjecerunt; quod multi etiam extendunt ad Judæos, aut infideles recenter conversos, etc.; putant insuper admitti eos in testes non posse, etiamsi christiani expresse consentiant. In criminibus tamen exceptis, et in quibus casibus veritas aliter haberi non potest, aut si contra alios Judæos, aut infideles testentur, etiamsi ab orthodoxo producantur, contra eos, etc., admitti possunt: non sunt tamen omni exceptione majores. Catholici vero testimonium contra Judæum aut infidelem nec in causis civilibus, nec in criminalibus rejicitur, ita ut nec per privilegia a principibus concessa Judæi tueri se possint, quominus per testes christianos convinci possint, cum talia privilegia, ut ait pontifex, christianæ religioni probrosa sint et adversa; et æqualitas in judiciis servanda actorem et reum concernat, non autem testes.

XVI. *Qui prohibeantur ferre testimonium in certis causis?* Primo, *mulier* potest esse testis in causis civilibus, tam in foro civili, quam canonico, etiam in causis matrimonialibus, quæ inter valde arduas censentur, ita ut sit integræ fidei, et semiplenam probationem faciat, si una tantum taliter testetur (ita tamen ut virorum testimonia mulierum testimoniis præferantur).

Et quamvis de jure civili, et cæsareo mulier etiam in criminalibus testis esse possit, nisi sit causa valde gravis, et ardua, vel ubi agitur ad pœnam mortis, vel mutilationis, quibus casibus saltem integræ fidei non erit testis mulier, et omni exceptione major, de jure tamen canonico in causis criminalibus, si criminaliter ad pœnam publicam agatur, ad testandum mulier non

admittitur, ob naturalem scil. mulierum mutabilitatem, et fragilitatem, ac inconstantiam, nisi de crimine civiliter tantum agatur per modum exceptionis, aut ad procedendum ex officio per modum denuntiationis, aut inquisitionis, aut si criminaliter agatur, si tamen de crimine excepto, aut non possit aliunde haberi veritas, vel testetur tantum ad innocentiam rei ostendendam, etc.

Secundo, *puberes* seu minorennes in causis civilibus testes esse possunt, præterquam si illæ arduæ sint; non tamen in criminalibus, nisi agatur de crimine excepto, aut veritas aliunde haberi non possit, aut procedatur tantum per inquisitionem ; neque tamen in talibus casibus admissi plenam probationem faciunt, ob præsumptionem judicii nondum satis maturi.

Tertio, personæ *pauperes* et vilis conditionis admittuntur quidem, cæteris paribus, in testes in causis civilibus minus arduis, cum testis idoneus non tam ex facultatibus, quam ex moribus, et vitæ probitate desumatur, non tamen in civilibus arduis et criminalibus, ad cavendum periculum falsæ depositionis, quam suspicantur jura per promissionem, aut datam pecuniam facile a paupere tali, aut vilis conditionis homine obtineri posse ; et hinc in quocunque casu admittatur talis, omni tamen exceptione major non est, quamvis per torturam purgata sit falsæ depositionis, et lucri captandi causa suspicio ; si tamen arbitrio judicis, aut partis omnis suspicio fraudis etiam penes pauperem abesset, aut fides pauperis per alios plures testes idoneos juvaretur, posset etiam illius testimonium ut integræ fidei admitti, cum nec sola paupertas, nec sola vilis conditio personæ vitio illi verti debeat.

XVII. Neminem *in propria causa* testem idoneum esse, communis et generalis regula docet, ob suspicionem

scilicet minus sinceræ depositionis in propria causa propriam utilitatem spectante; et ob hanc causam, neque ille testis idoneus videtur, qui similem causam in judicio agit, propter quam in testem hic et nunc producitur, nisi aut protestatio prævia de nullo proprio commodo quærendo in tali testificatione eum idoneum faciat, vel agatur tantum de modico emolumento, vel non possit aliter haberi veritas, vel testetur talis tantum in causa suæ communitatis.

Sed nec in illa causa potest quis esse testis, quam ad judicium ut actor, vel accusator, detulit, ne probando talem suam actionem aut accusationem, in propria causa testis esse censeatur; et quamvis si processit per viam denuntiationis charitative, non tam ad puniendum, quam emendandum peccatum, possit in illa causa testis esse.

Si judex tamen judicialiter procedat ad puniendum denuntiatum, ad deponendum, v. g., ab officio aut beneficio, tunc in criminibus gravibus, aliisque magni præjudicii causis, non potest esse testis denuntiator, quia in talibus casibus non est recedendum a communi juris regula, quod idem accusator, seu actor, et testis esse non possit, nisi qui publica auctoritate ad denuntianda crimina ex officio suo sit deputatus (cui merito major fides haberi debet, quam alii cuicumque denuntiatori), aut agatur de peccato evitando, neque possint alii testes haberi.

Judex autem in ea causa, quæ coram ipso adhuc pendet, non potest in testem produci, ob nimiam pro causa tali in suum honorem decidenda affectionem; et si agatur apud alium judicem appellationis, v. g. de justitia, vel injustitia latæ a priore judice sententiæ, non potest produci in testem, ne in causa sua ob affectionem ad sententiam a se latam sit testis quodam-

modo, quamvis in priore casu, si necessitas sit, ne pereat jus partis, ob defectum probationum peti possit a parte, quæ illius testimonio indiget, ut alius ipsi judex substituatur, et sic ipse in tali casu testari possit.

§ II. DE NUMERO, JURAMENTO, ET DEPOSITIONE TESTIUM.

XVIII. *Quot testes* requirantur ad legitimam probationem, et plenam fidem faciendam? Ordinarie ad probationem rei gestæ requiruntur et sufficiunt duo testes idonei et omni exceptione majores, tam in profanis, quam ecclesiasticis, tam in civilibus, quam in criminalibus causis. Sunt quidem aliquæ causæ, in quibus de jure plures, quam duo, aut tres testes requiruntur.

De consuetudine tamen hodie non omnia observantur; et quantumvis hac in re quoad numerum testium requisitorum multa possit consuetudo, non potest tamen facere, ut unus testis, cujuscunque sit dignitatis, plene probet, cum talis consuetudo apertam occasionem præberet multis calumniis, perjuriis, iniquis oppressionibus, etc., nisi gravis valde necessitas, aut evidens utilitas consuetudinem talem, aut statutum tale exigeret, prout de facto in causis judicialibus levioribus, nihil tertio præjudicantibus; in causis summariis; in causis quibusdam non judicialibus, cum agitur de evitando peccato; in denuntiatione inhabilitatum ad ordines suscipiendos, vel ad beneficia ecclesiastica obtinenda; ad probandam rei innocentiam; vel casu quo partes consentiant, ut unico testi plena fides habeatur; vel hic sit officialis ad denuntiandum constitutus; vel de proprio actu testetur, etc., unius testis testimonium sufficit: in genere tamen etiam dici potest, quamvis unus testis plenam fidem non faciat ad causam decidendam, si tamen sit omni exceptione

major, semiplene probat, de eo quod in judicio deponit, et sufficientem præsumptionem facit ad inquirendum, citandum et torquendum etiam reum; et conjunctum cum aliis indiciis, et præsumptionibus, plenam fidem facere potest saltem in civilibus causis; et quamvis unicus testis, etiamsi fide dignissimus sit, testis omnino inhabilis defectum non suppleat, putant tamen aliqui per unius superabundantem fidem aliorum contestium minorem habilitatem suppleri posse, quia quod imperfectum est, per aliud suppleri potest, non autem quod omnino nullum est.

XIX. *De juramento testium.* Quod testis non jurati, qualiscunque ille sit, testimonium nihil probet in judicio, ex utroque jure patet. Hinc a teste, antequam deponat, juramentum exigitur non calumniæ, sed veritatis, et quod nec pretio, nec amore, nec odio, nec terrore, nec ex alio sinistro motivo moveatur ad testimonium dicendum, et quod depositiones suas ante earum publicationem nemini sit revelaturus. Et quamvis in quibusdam tribunalibus ea praxis observetur, ut testium depositiones fiant, antequam ab illis juretur, moneantur tamen expresse, ut ita deponant, ut possit postmodum depositiones suas juramento confirmare, et depositio taliter facta nunquam ad sententiam ferendam (in re alicujus juramenti) inducet judicem, nisi juramento depositiones illæ fuerint confirmatæ, et quidem in judicio, non extra illud.

Debet autem testium juramentum esse corporale tangendo Evangelium, nisi consuetudo aliam praxim induxerit, aut specialia alicubi privilegia personæ aliquæ habeant, ita ut illis etiam non juratis credendum sit. Potest tamen etiam ab adversa parte, contra quam testes producuntur, si expresse consentiat, remitti hoc juramentum, ut constat ex c. Tuis, 39, juncta gloss. v.,

remittatur h. t. (cum supplici assertione in proprium præjudicium contentus esse possit, in cujus favorem juramentum hoc introductum est), exceptis causis criminalibus capitalibus et causis matrimonialibus, ubi agitur de valore matrimonii : quia in hoc casu vertitur periculum animæ, in illo casu publica vindicta juramentum exigit, prout etiam publicum bonum tale juramentum exigit, si agatur de beneficio ecclesiastico.

XX. Testes præsentes quidem in loco judicii testimonium rogati, et a partibus producti deponere debent, non tamen in scripto, sed viva voce, de his quæ aliquo sensu corporeo perceperunt (ut judex scilicet cognoscere possit quo vultu, qua constantia, vel trepidatione, etc., testimonium deponant), nisi consuetudo aut necessitas aliud jubeat.

Delicta occulta, uti est fornicatio, adulterium, etc., probantur quidem per testes juratos; sufficit tamen, si deponant de auditu et de indiciis, quæ crimina talia comitantur, vel præcedunt, et communi fama adjuventur, ita tamen ut pro diversitate circumstantiarum, aut causæ, major vel minor probatio sufficiat : multum tamen hac in re, quæ evidenter probari non potest, judicis arbitrio relinquitur.

XXI. *De testibus singularibus*, eorumque probatione. Contestes in hac materia dicuntur illi qui unum idemque factum testantur; singulares vero testes dicuntur illi qui de diversis factis testantur; et hæc testium singularitas alia est adversativa, si dicta eorum testimonia, vel depositiones inter se repugnent. Alia est diversificativa, si testes deponant de factis non contrariis sibi invicem, sed diversis, et nihil se mutuo juvantibus. Alia denique testium singularitas est cumulativa, sive adminiculata, si deponant scilicet testes de actibus diversis, se mutuo tamen adjuvantibus,

quia depositiones talium testium diversæ quidem sunt, ad eundem tamen finem tendunt, ut si de possessione agri sit quæstio, et testetur unus vidisse se Titium seminasse agrum talem, alius vero testetur vidisse se quod Titius hunc ipsum agrum messuerit. His notatis,

Certum est primo, testes ut plenam fidem faciant, non debere esse singulares, contraria, vel diversa prorsus testificantes, sed debere esse contestes de uno eodemque facto in specie testificantes, ita ut non tantum in substantia delicti convenire debeant testes, sed in tempore etiam et loco, etc., ut plenam ad condemnandum reum et puniendum pœna ordinaria fidem faciant. Possunt tamen magnam contra reum præsumptionem facere, si de diversis actibus diverso tempore factis deponant; et si deponant de diversis quidem actibus, mutuo tamen se adjuvantibus, possunt non tantum in causis civilibus plene nonnunquam probare, sed etiam in causis criminalibus, ut si quæratur de actu sua natura successivo, vel iterabili, et hic testatur se hodie vidisse in tali loco, v. g., Titium, alter testatur, altero se die in eodem loco vidisse se Titium, etc., vel si testatur, hic, ex occisi domo turbatum exire se vidisse Titium, alter testetur vidisse se fugientem Titium. Tertius testetur de occisi, et Titii longa inimicitia.

§ III. DE PRODUCTIONE ET RECEPTIONE TESTIUM, EORUMQUE EXAMINATIONE.

XXII. *Quando producendi et recipiendi sint testes?* Ex dictis jam patet regulariter quidem et ordinarie producendos ac recipiendos testes esse post litem contestatam, plures tamen esse causas et casus in quibus produci et recipi possunt testes etiam ante litis contestationem. Possunt tamen casu quo tempore latæ sententiæ testes quidem adhibiti fuerunt, sed nullum

super his instrumentum publicum confectum sit, petente eo postmodum pro quo sententia lata est, implorato judicis officio, testes denuo vocari, audiri, et depositiones eorum instrumento publico in scripturam a notario redigi.

Regulariter nonnisi tres productiones testium admitti possunt (ita ut iidem testes, si testificata non didicit producens, produci possint iterum super antiquis articulis, vel etiam novis, ex causa tamen justa); et cum solemnitate legali quarta etiam productio testium dari et concedi potest, ne scilicet per effrenatam testium multitudinem, et multam illorum depositionem lites nimium protrahantur, et ne periculum sit evulgandorum eorum quæ testes deposuerunt, aut subornationis alicujus nisi prius quam tertia productio fiat, partes ulteriori productioni renuntiaverint. Et quamvis quarta productio testium ex causa concedi possit a judice, debet tamen pars petens quartam hanc productionem præstare juramentum, quod attestationes testium nec suæ, nec adversæ partis, nec per se, nec per alios suppresserit, aut occultaverit, quod depositiones testium non exploraverit, nec perscrutatus sit (non obest tamen, obiter eas legisse tantum, aut referri audivisse, cum ex tali casu nulla videatur subornationis præsumptio posse oriri), et quod hanc quartam productionem non petat malitiose et dolose, etc., in quibus consistit *solemnitas* illa legalis, cujus meminerunt jura : qua supposita, si tamen cesset subornationis præsumptio, et partes non renuntiaverint ulteriori testium productioni, potest illa pars quæ petivit quidem ulteriorem productionem, cui tamen illa concessa non fuit sine justa causa, a gravamine hoc, et sententia hac interlocutoria, quæ vim definitivæ habet, non tantum de jure canonico, sed etiam de jure civili appellare,

cum beneficium a lege indultum non sit alicui auferendum.

XXIII. *Quomodo producendi et recipiendi sint testes, et quomodo puniantur impedientes* productionem et receptionem eorum? Ad testium validam receptionem debet pars, contra quam producuntur, citari (ne videantur recepti tantum in favorem producentis, et in odium alterius partis absentis), ita tamen ut pars adversa citari tantum debeat, ad videndos testes qui contra eam producuntur, et articulos super quibus producuntur, ac audienda eorum juramenta, non tamen ad audiendas eorum depositiones, et dicta quæ secreto et sigillatim a judice coram notario recipienda sunt; et est hæc citatio usque adeo necessaria, ut nullius momenti sint contra non citatum receptæ attestationes, nisi judex ex officio procedat per inquisitionem generalem, aut periculum sit in mora, vel ratione causæ, vel ratione testium alio arbitrorum, vel ratione probationum alias omittendarum; aut pars, contra quam producuntur testes, per se sit præsens, ita ut nulla citatio necessaria sit.

Qui vero testes impediunt quominus testimonium perhibeant veritati, aut ne producantur et recipiantur, sunt excommunicandi. Et si qui juraverint testimonium se non daturos contra partem aliquam, hoc juramento velut iniquo non obligantur, et compelli possunt ad testificandum, si attestationes nondum sint publicatæ, nec renuntiatum productioni testium.

Debent autem testium attestationes sumptibus producentium fieri, cum regulariter sumptus ille præstare debeat, in cujus gratiam actus celebratur.

XXIV. *De examine testium.* Examinandi sunt *a judice*, ita tamen ut possit judex eorum longe fortassis absentium, examen alteri committere, et depositiones

descriptas sibi transmitti postulet, etiam extra judicium recipiendos, et solum ministerium, sive nuda executio examinis post receptos et approbatos jam testes committatur; nisi sint causæ criminales, in quibus ipsemet judex testes recipere et examinare debet ; vel nisi illi qui in testes producuntur, sint personæ privilegiatæ, aut ægre venire possint ad locum judicii, quibus, ut domi suæ per submissas personas idoneas examinentur in causis saltem civilibus, conceditur.

Non plures simul, sed singuli sigillatim et secreto examinandi sunt (ad cavendum scilicet omne periculum, ne ex favore potius, quam veritate idem deponat aliquis, quod alter deposuit). Diligenter sunt examinandi, non solum super negotio, seu causa principali, sed etiam de ratione, seu causa scientiæ, de personis testium, et singulis circumstantiis; neque enim censetur scire, qui nescit rationem, seu causam reddere ejus quod asserit.

Abstinendum tamen est non solum ab incongruis, et nihil ad rem facientibus interrogationibus, sed etiam a nimium exquisitis, considerata qualitate personæ quæ examinatur, et semper moderari debet judex nimiam testium multitudinem, ita ut non permittat ultra quadragenarium numerum testium multitudinem super uno eodemque articulo excedere.

§ IV. DE PUBLICATIONE ATTESTATIONUM.

XXV. *Quomodo facienda sit attestationum publicatio*, et an pertineat ad substantiam processus? Item an attestationes receptæ in uno judicio publicandæ sint, ut probent et fidem faciant in alio judicio? Examinatione testium facta, et postquam ulteriori productioni renuntiarunt partes, ad quam faciendam a judice induci debent, debent attestationes in secreto receptæ, utraque

parte præsente, vel altera etiam absente, si citata tamen fuerit, et contumax declarata sit, publicari, non quidem quasi ad substantiam processus judiciarii hæc publicatio pertineat, et consequenter ipsius omissio nullam reddat sententiam latam (quia sine examinatione testium ex instrumentis, v. g., potest ferri sententia), sed quod necessario ex præcepto requiratur, ita ut si omissa sit, quamvis pars eam petiverit, judex autem recusaverit, appellare pars illa possit.

Possunt tamen attestationes in priore judicio receptæ in altero judicio, si super eadem causa et super iisdem articulis, et inter easdem personas, etc., fuerit, publicari (quia juxta dicta etiam in alio judicio fidem faciunt, et successor in judicio idem quasi judex cum priore censetur), et omnibus prosunt, quibus prodesse potest res judicata. Neque tamen receptæ attestationes inter partes principaliter litigantes ad petitionem tertii intervenientis in judicio publicari debent, etiamsi illius aliquo modo intersit (ne videatur præjudicium aliquod partibus principaliter litigantibus inferri), quamvis si juri suo velint partes cedere, publicatio fieri possit.

XXVI. *An post publicationem attestationum iidem testes, vel aliis super iisdem articulis, vel contrariis produci et recipi possint, vel non?* Articuli qui parti proponenti probandi regulariter sunt, alii dicuntur antiqui, alii dicuntur novi, alii dependentes ab antiquis : antiqui dicuntur, qui jam ante propositi fuerunt in libello, super quibus, si testes legitime jam producti et recepti fuerunt, ac attestationes publicatæ, jam non amplius, aut alii admittuntur, ut ex dictis patet.

Novi sunt, qui non sunt propositi, et ad causam motam sunt impertinentes, neque juvant intentionem actoris aut rei, qui articuli omnino rejiciuntur a ju-

dice, neque super illis testes admittuntur ad probandum frustra, quod probatum nihil facit ad causam motam.

Dependentes denique articuli ab antiquis sunt, et dicuntur illi, qui propositi ac probati adjuvant causam, seu intentionem litigantis; qui facti quidem necessitate sub prioribus continentur, non tamen necessitate probationis, super quibus articulis nova probatio admittitur, nisi articulus talis virtualiter etiam quoad probationem contineretur in antiquis, ut sic enim antiquus censeretur, et nulla nova illis probatio post publicatas legitime attestationes admitteretur.

Inter *contrarios* vero articulos ea est differentia, ut alii dicantur directe contrarii, alii indirecte : directe contrarii dicuntur, qui directe adversantur articulo a producente per testes probato, et super his probatorii testes post legitime publicatas attestationes non admittuntur, ob periculum fraudulentæ alicujus subornationis. Indirecte contrarii dicuntur, qui testium depositioni ad certas circumstantias articulum litigantis restringenti adversantur, et sic indirecte etiam articulo per testes tales probato : super quibus admittuntur testes reprobatorii etiam post publicationem attestationum, cum per hanc restitutio illa primum innotescat.

§ V. DE EXCEPTIONE CONTRA TESTES, ET EORUM REPROBATIONE.

XXVII. *Quomodo et quando excipiendum sit contra testes?* Contra testes possunt triplicis generis exceptiones opponi. Primo contra personas testium, quod vel omnino, vel ratione causæ ad testimonium dicendum sint inhabiles, ut supra dictum. Secundo, contra examen testium, quod non sit legitime factum, vel ex defectu jurisdictionis ab incompetente judice, vel quod pro-

ducti et recepti fuerint testes ante litem contestatam; quod admissi fuerint parte non citata; quod post tertiam productionem recepti fuerint, sine solemnitate legali; quod recepti fuerint post percepta testificata; quod recepti fuerint post conclusionem in causa, aut post renuntiationem ulterioris productionis; quod recepti sint non jurati simul, ac non seorsum, et secreti, et de quibus omnibus jam actum in superioribus, h. t. Tertio, excipi potest contra ipsa testium dicta, et depositiones, et quidem variis modis, prout iterum ex dictis patet.

Quando autem excipiendum sit, si quæratur? Respondetur primo, contra personas testium opponi debent regulariter exceptiones, priusquam eorum attestationes sunt publicatæ (ne videantur ex odio magis factarum attestationum reprobari), ita tamen ut a communi regula tres casus excipiat.

Primo scilicet, si excipiens post publicationem attestationum juret, quod malitiose non agat excipiendo. Secundo, si citatus adversarius ad videndum testes contra se productos cum protestatione sibi reservavit facultatem excipiendi contra eorum personas. Tertio, si probaverit (saltem per juramentum proprium) quod ea, quæ opponere vult contra testes, post publicatas attestationes primum didicerit. Quæ tamen omnia intelligi debent de testibus non absolute, et simpliciter inhabilibus, contra quos semper, etiam post publicatas attestationes, excipi potest, sed de testibus secundum quid inhabilibus, quorum depositiones subinde admittuntur.

Testes producti ad probandam exceptionem dilatoriam tantum, quam reus contra actorem proponit, non possint cogi, nec admitti debent ad testimonium ferendum super causa principali, cum tantum jurave-

rint veritatem se dicturos super exceptione dilatoria, et eorum depositio magis tendat ad impediendum cœptum negotium, quam ad prosequendum.

Si vero producti sint super exceptione peremptoria probanda, tunc petente adversario, ut etiam super causa principali deponant, jurare debent, et cogi possunt ut jurent super toto negotio se veritatem dicturos, quia simul procedi potest super exceptione peremptoria, et super causa principali.

ARTICULUS QUARTUS.

De fide instrumentorum.

XXVIII. *Quid et quotuplex sit instrumentum.* Instrumentum, prout hic de eo sermo est, dici potest quælibet scriptura, ad alicujus rei assertionem vel probationem facta; horum instrumentorum alia sunt publica, alia privata. Instrumentum publicum dicitur illa scriptura quæ publica auctoritate, sive a publica persona, qualis censetur esse notarius, legitime ac cum debitis solemnitatibus confecta est, sive in judicio, sive extra judicium ; vel si a publica persona confecta non sint, quoad effectum tamen probandi publica dicuntur, uti sunt acta judicii judicis auctoritate confecta, scripturæ illæ quæ ex archivio publico, sive cancellaria extrahuntur, scripturæ publico aliquo et authentico sigillo signatæ, episcopi, v. gr., principis sæcularis, capituli, civitatis, vel alterius communitatis jus sigilli habentis ; scripturæ privatæ quidem, quæ tamen interveniente auctoritate magistratus aut judicis publicantur ; et scripturæ denique subscriptione scribentis, et trium vel duorum testium munitæ, etc., quæ scripturæ omnes auctoritatem eam habent, ut fidem faciant, etc., dummodo in eis defectus nullus fraudis

suspicionem generans appareat, et ob hoc authentica dici possit; non tamen omnis authentica scriptura etiam publica est, nisi in latiore aliquo sensu τὸ publicum accipere velis.

Quæ autem publica propria scriptura est a notario confecta, iterum duplex est : alia vocatur protocollum, quæ summaria, succincta, seu brevis actus gesti est annotatio, memoriæ causa facta; alia vocatur transumptum, videlicet instrumentum authenticum et originale, ex protocollo desumptum, in legitimam formam cum debitis solemnitatibus redactum, plenam rei gestæ expositionem continens. Et quæ ex his originalibus instrumentis describuntur, exempla sive copiæ instrumentorum dicuntur. Privata vero instrumenta, quæ domestica etiam dicuntur, et a privatis tantum personis, non autem a notario confecta dicuntur, authentica sunt, vel non authentica. Authentica dicuntur illa, quæ testium subscriptione aut sigillo, eoque recognito et approbato, vel alio legitimo modo munita sunt, ita ut plenam fidem faciant. Non authentica dicuntur illa, quæ his adminiculis carent, uti sunt rationes privatæ, inventaria privata, seu registra, apochæ, antapochæ, epistolæ privatæ, etc.

XXIX. *Quomodo conficiendum sit instrumentum publicum?* Plures sunt solemnitates ad hoc requisitæ. Primo requiritur divini nominis invocatio; cujus tamen omissio, saltem de jure communi scripto non vitiat instrumentum, cum nullus juris textus habeatur expressionem hanc requirens; servanda tamen est communis consuetudo.

Secundo requiritur ut ponatur in instrumento annus nativitatis Domini currens eo tempore, et apponatur insuper indictio, et post indictionem, mensis ac dies confecti instrumenti, et nonnunquam etiam hora

diei addatur; nomen quoque et annus imperatoris regnantis in terris imperii, aut supremi illius principis qui superiorem in suis terris non agnoscit, exprimatur; apponatur etiam locus castri, vel civitatis, domus etiam, et hypocausti, vel atrii, ubi contractus, v. g., super quo conficitur instrumentum, celebratus est (quamvis juxta aliquos hæc tam specialia et minuta non requirantur, servanda tamen iterum consuetudo).

Tertio requiritur ut duo vel tres testes actui illi, seu confectioni instrumenti adsint, vocati ad hoc et rogati, saltem in certis quibusdam casibus, quorum nomina instrumento inserantur, ut appareat per quos de veritate, si dubium oriatur, constare possit. Et quamvis necessarium non sit ut nomina sua subscribant testes, notarius tamen suum pronomen et cognomen subscribere debet, et simul exprimere quod ab eo, vel ab illis, ex quorum consensu actus hic dependet, rogatus ad hoc fuerit.

Quarto denique requiritur ut instrumentum scriptum coram partibus legatur (si tamen contractus ratio scripturam exigit), atque solemne notarii sigillum apponatur, quod quidem de jure non requiritur, ut plura alia consuetudo tamen jubet, quæ in hac instrumentorum materia multum valet.

XXX. *Quam vim probandi habeant instrumenta publica?* Originale instrumentum legitime confectum plene probat, et plenam fidem facit de illis quæ dispositive in eo continentur, non tantum pro proferente tale instrumentum, sed etiam contra proferentem, ob præsumptionem quam pro se habent talia instrumenta, quinetiam protocollum, si notarii manu scriptum sit, ex rogatione partium, plenam fidem facit de actis, quæ ex eo plene intelligi possunt (quia matrix quasi est, seu archetypum, ex quo extrahitur

instrumentum, et nisi actus ad sui substantialem perfectionem scripturam requirat, ante instrumenti perfectionem nondum perfectus), ita quidem, ut si dubium occurrat in instrumento, quod ex protocollo solvi possit, standum sit protocollo; et si fortassis notarius qui protocollum confecit, ante instrumenti confectionem mortuus sit, possit, si partes consentiant, alius notarius cum auctoritate judicis ordinarii instrumentum ex relicto protocollo conficere.

XXXI. *De productione instrumentorum.* Instrumenta potest utraque pars producere, ordinarie non tantum post litem contestatam, sed etiam post publicationem attestationum, donec in causa conclusum sit.

Neque enim in tali productione instrumentorum, post publicationem attestationum factam, periculum est alicujus subornationis, sicut esset, si liceret adhuc testes producere; mirum ergo non est, hoc esse prohibitum, non autem illud : post conclusionem vero in causa instrumenta produci non posse amplius, ipsa natura conclusionis facit, quæ est renuntiatio saltem tacita omnis ulterioris probationis, nisi in certis casibus ubi etiam sæpe post sententiam admittitur probatio per instrumenta, si ita judici ex officio expedire videatur; si post conclusionem in causa primum reperta sint, et jurare velit pars producens, quod nulla negligentia in illis prius inquirendis intervenerit, ignorata tamen fuerint; si producantur ad innocentiam rei in causa criminali probandam; si parte adversa præsente et nihil contradicente instrumentorum, productio recipiatur.

Si a sententia fuerit appellatum, quo in casu instrumenta produci possunt post sententiam in judicio appellationis, quorum productioni in priore instantia obstabat conclusio in causa; si producatur instrumen-

tum non ad probandum, sed ad priores probationes tantum declarandas; et generaliter quandocumque aliqua justa causa judici subesse videtur. Potest tamen etiam judex, ante conclusionem in causa certum tempus partibus statuere, ad lites abbreviandas, intra quod instrumenta sua producere debeant.

De variis exceptionibus quæ contra instrumenta opponi possunt. In genere dici potest, quod exceptiones contra instrumenta, vel desumantur a causa efficiente, ut quod non a legitima auctoritate confecta sint; vel a causa materiali, ut quod sint de re illicita; vel desumantur a causa formali, ut quod desit substantialis aliqua solemnitas, etc. In specie vero contra instrumentum opponi potest, primo quod falsum contineat (quo in casu exhibendum tale instrumentum judici in loco securo, et intra tempus præfixum a judice, ut de falsitate hic cognoscat, quæ non inspecto instrumento sciri non potest), ita ut si ex una tantum parte sit falsum, totum suspectum reddatur, nisi falsitas subsit articulo prorsus diverso, et separato ab aliis nihil connexis cum illo falso, utile enim per inutile vitiari non debet.

Secundo, opponi potest quod sit vetustate consumptum, cancellatum, vel deletum, ut legi amplius non possit, vel non debito modo signatum, vel alio modo vitiatum, ut merito suspicionem falsitatis inducat.

Tertio, opponi multa possunt contra sigillum instrumento appositum, quod enormiter fractum sit, seu sculptura, et imago deleta, ita ut ex parte residua non possit satis colligi cujus sit, neque ex imagine, neque ex litteris circum sculptis non amplius legibilibus, quod figura dignitati sigillantis non conveniat; quod regem potius, quam pontificem referat, cum tamen

hujus esse prohibeatur ; quod per testes probari possit furtivum illud esse, aut factum ad imitationem veri sigilli ; quod sit ignotum.

XXXII. *An, et quomodo instrumenta reprobari possint per testes ?* Si testes omnes in instrumento scripti, aut subscripti contradicant illi, asserentes vel non esse ita actum, prout instrumentum asserit, vel se non interfuisse, cum instrumentum conficeretur, etc., reprobum et falsum redditur instrumentum, nisi testes tales convincantur. Cum enim per testium inscriptorum aut subscriptorum fidem instrumentum firmetur, consequenter si hi negent subscripsisse se, aut fuisse præsentes, dum instrumentum conficeretur, aut contractus fieret, nulla fides tali instrumento habenda est ; si vero non omnes negent, aut contradicant instrumento, sed tantum aliqui, aliis tamen pro valore instrumenti stantibus, sufficiunt ad valorem instrumenti sustinendum, si duo omni exceptione majores pro illo stent, quamvis plures sint contrarii; cum enim numerus sufficiens et legitimus testium pro instrumento adsit, non debet reprobari per aliorum supervacaneorum testium contradicentium depositionem, nisi multum excederet numerus testium reprobantium numerum duorum affirmantium ; multum tamen in re hac controversa judicis arbitrio tribuendum.

Sufficiunt tamen etiam duo testes tantum in instrumento non inscripti neque subscripti, ad reprobandum publicum instrumentum, quamvis directe contra contenta in instrumento non deponant, modo contra instrumentum deponant, ostendendo illius falsitatem, eo quod notarius, v. g., aut pars contrahens, aut testis inscriptus, etc., alibi fuisse probetur eo tempore quo confectum fuit instrumentum. Et quamvis notarii auctoritas duobus testibus æquivaleat, intelligi tamen

hoc debet de notario viva voce deponente, non autem de notarii mortua voce in instrumento.

Quod si autem testes non inscripti neque subscripti instrumento deponant contra contenta in instrumento, quod ab alia parte pro se producitur, judicis arbitrio relinquendum num major fides , variis consideratis circumstantiis, instrumento, an duobus, vel tribus testibus contra contenta in illo deponentibus habenda sit.

ARTICULUS QUINTUS.

De præsumptionibus.

XXXIII. *Quid sit præsumptio, et quot sint ejus species, quive effectus?* Præsumptio bene definitur, quod sit rationabilis conjectura rei dubiæ collecta ex argumentis et indiciis, quæ per rerum circumstantias plerumque, vel frequenter eveniunt. Indicium autem dicitur notabile signum rei de qua dubitatur , ad veritatem cognoscendam inserviens ; et hoc quidem indicium aliud *dubitativum* est , quod movere quidem potest animum ad credendum aliquid, sed cum formidine , seu virtuali dubio de opposito ; aliud *indubitatum* , quod ad plenum assensum movere animum potest, et quidem remotum aliud, quod minus idoneum est, ad rem demonstrandam , et sæpius fallere potest , aliud proximum, quod magis verisimile est , sive aptum ad rem demonstrandam ; et iterum alia sunt levia indicia, quæ vix suspicionem gignunt; alia sunt gravia, quæ opinionem non levem, non tamen omnino certam generant ; alia gravissima, quæ pariunt assensum moraliter certum ; et ex his indiciis variæ etiam oriuntur præsumptiones : vehementes, scil., seu violentæ, quæ habentur ex gravissimis indiciis ; probabiles , quæ minus urgentibus indiciis nituntur, et leves, quæ vix me-

rentur præsumptionis nomen; sed potius dici debet ex levibus indiciis orta suspicio satis temeraria.

Præcipua præsumptionis divisio est, quod alia sit *hominis*, alia *juris* præsumptio. Illa ex variis indiciis et conjecturis formatur ab homine, seu judice; hæc in lege expressa est; illa tollitur per contrariam probationem, hæc tollitur quidem etiam per contrariam probationem, si juris tantum sit, quia quæ a probationibus provenit fides, magis certa est, quam præsumptio juris : si autem sit juris et de jure præsumptio, ita ut non tantum lex ita præsumat, sed dependenter ab hac præsumptione certi aliquid statuat super præsumpto, et sic velit haberi hoc pro veritate, nulla in contrarium admittitur probatio (nec appellatio, nec juramentum), nisi aperte constet de veritate, quæ facit omnem præsumptionem cessare; vel nisi confessio judicialis contra talem præsumptionem pugnet, modo sit de facto, quod in illius potestate est, contra quem pugnet præsumptio; vel tantum sit indirecta contra talem præsumptionem probatio, aut pro probatione tali nihil a parte contraria opponatur, cum in tali casu videatur tacite consentire in tollendam præsumptionem, si tamen a voluntate partis dependeat illa de qua juris est et de jure præsumptio.

Potest autem dependenter a præsumptione juris et de jure, immo juris tantum ferri a judice sententia definitiva cum censeatur plena, perfecta, et liquida probatio, modo per contrariam probationem non fuerit improbata. Utrum autem ferri possit sententia, dependenter a sola præsumptione hominis, judicis arbitrio relinquitur, uti mox dicetur.

De variis causis, indiciis seu conjecturis, ex quibus oriuntur, ac desumuntur præsumptiones, et quam vim probationes habeant. Ex vehementi et violenta præsump-

tione, sive ab adversa parte allegata ea manifestata sit, sive non, sed aliunde in judicio manifestata sit absque alia probatione, procedere potest judex ad sententiam definitivam, etiam condemnatoriam ; non tantum si agatur civiliter, sed etiam in causis criminalibus , non tantum ad pœnam extraordinariam infligendam, sed etiam ad pœnam ordinariam in criminibus occultis, et quæ sunt difficilis probationis, ne sæpius ex defectu probationis alterius jus alteri pereat, aut crimina impunita maneant.

XXXIV. *Unde sumantur aliæ præsumptiones non violentæ?* Primo quod in delictis commissis, in dubio, v. gr., præsumatur dolus ; qui enim noxius est alteri, quod malo animo hoc fecerit, facile præsumitur , nisi contrarium probetur, vel alia validior præsumptio prævaleat, per quam prior elidatur. Non tamen præsumptio hæc sufficit, quæ est ad solum conatum criminis, crimine non secuto, saltem juxta receptam praxim et consuetudinem, quæ nisi effectus sequatur, conatum solum ordinaria pœna, qua crimen tale puniri solet, non punit, nisi lex expressa etiam hoc præcipiat, aut crimen sit valde atrox, et actus valde propinquus effectui pravo.

Secundo præsumitur ex bona conversatione in adolescentia, eadem etiam in virili ætate et senectute, et universim ex præterito rei statu sæpe præsumitur de futuro (nisi temporis usu necessario vel verisimiliter immutetur), et ex præterito de præsenti, et ex prius datis, et neglectis, etc., quæ tamen præsumptiones sæpius fallunt, juxta illud : Angelicus juvenis senibus sathanizat in annis.

Tertio præsumitur contra illum qui declinat judicium, et præsumitur pro illo qui se offert judicio (sicuti enim illum premere judicatur conscientia mala,

ita hic conscientia bona gaudere videtur); fuga tamen, sive post, sive ante inquisitionem, aut accusationem, metu tamen hujus futuræ, nec semiplenam probationem facit, sed levem tantum suspicionem : cum magis præsumi debeat fugisse, ad declinandum multis gravem judicialem processum, quam ob conscientiam criminis, nisi fuga ipsa specificum delictum in tali persona esset, uti fugit in milite, aut fuga fieret ex publico carcere, cum hujus effractione, quæ fuga indicia criminis facit, saltem ad graviorem torturam, et propter violatam publicam custodiam, pœna dignum faciat taliter fugientem.

Quarto qui ex duobus sibi objectis unum tantum negat, præsumitur alterum tacite fateri, quia in tali casu, in quo potest contradicendo impedire actum, taciturnitas pro confessione habetur, ex præsumptione scilicet juris, quæ sæpius fallit, et vix locum habet, nisi circumstantiæ bene expendantur.

Quinto vicarius præsumitur ea scire, quæ in vicinia facta sunt. Si tamen facta talia sint, quæ sunt, communiter nota in tali loco, aut teneatur de his ex officio inquirere in facta viciniæ; in aliis enim casibus regulariter ignorantia facti præsumitur, donec scientia probetur.

XXXV. Generalis regula est : quod quilibet præsumatur bonus, vel idoneus ad officium, beneficium, vel actum aliquem, nisi contrarium probetur. Si qualitates, de quibus præsumitur, sint intrinsecæ, seu naturales, non autem si sint mere extrinsecæ, et accidentales, quales sunt studuisse in Academia; esse doctorem, vel graduatum, quæ probari debent; et quamvis de intrinsecis etiam qualitatibus morum integritate legitimis natalibus, etc., promovens inquirere debeat, fit tamen præsumptio pro talibus qualitatibus, si post

inquisitionem nullus defectus appareat, quæ habilitas facilius etiam præsumitur in jam promoto, quam in promovendo.

Sunt tamen regulæ hujus generalis multæ limitationes, ita ut vera sit illa regula si in nullius tertii præjudicium vergat illa præsumptio; vel si ipsi pro quo præsumitur, ex tali præsumptione præjudicium aliquod oriatur, et nisi agatur de salute, aut utilitate animæ, ubi melius est, præsumere delictum, quam non præsumere delictum, aut præcedentes conjecturæ de dolo præsumere velint, aut de justitia actus facti, præcise præsumptio fiat ex honestate, et prudentia personæ agentis.

ARTICULUS SEXTUS.

De jurejurando.

§ I. DE JURAMENTO IN GENERE, ET VARIIS JURAMENTIS, TUM LICITIS, TUM ILLICITIS.

XXXVI. *Juramentum recte definitur*, quod sit invocatio divini nominis in testem: quod duplici modo fieri potest, vel affirmando, aut negando sub invocatione divini nominis in testem, et habetur juramentum *assertivum;* vel promittendo aliquid cum juramento, et habetur juramentum *promissorium.* Potest autem Deus in testem vocari explicite, vel implicite, jurando scilicet per creaturas, quatenus in illis reluceat Deus; uterque jurandi modus licitus est secundum se, si suos tres comites habeat, veritatem scilicet (ut res quæ juratur, vera sit, sive ita se habere putetur, sicuti juratur), judicium (ut non temere et sine necessitate, utilitate, ac pia affectione juretur), et justitia denique, ut licitum scilicet sit, ac honestum, quod juratur.

Sunt autem jurandi formulæ variæ, quas magis ex

usu patriæ, juxta quam jam hoc, jam illud, pro juramento habetur, etiamsi explicite divinum nomen non invocetur in testem, et ex theologia morali discere potes, quam ex jure canonico, ex quo tamen satis certum est, quod ex natura rei non requirantur verba formalia ad juramentum (valde tamen conveniens est, ut in foro externo per verba juretur), et quamvis juxta SS. canones juramentum fieri debeat, tactis vel propositis saltem Evangeliis, quod in juramento solemni sæpe servatur, consuetudo tamen maribus præscripsit, ut erectis cum pollice duobus primis digitis manus dextræ, reliquis duobus in depressis; fœminis vero, ut jurent ad sinistram pectoris partem posita dextera; sacerdotibus denique tangendo pectus, ut jurent.

XXXVII. *Juramentum dividitur* primo in *assertorium* et *promissorium*, uti jam dictum, ita ut ad juramentum promissorium non tantum reducatur juramentum, quo confirmatur promissio, sive pactum, sed juramentum etiam fidelitatis et obedientiæ, quod episcopi in sui ordinatione, et abbates in sui benedictione, si a pontifice confirmationem suæ dignitatis accipiant, præstare debent Summo Pontifici.

Secundo dividitur juramentum in *contestatorium*, sive illud quod fit per simplicem contestationem divini nominis, sive quando simpliciter Deus in testem vocatur; et in juramentum *execratorium*, quod fit sibi ipsi, vel aliis dilectis, vindicem Deum, sive malum a Deo immittendum imprecando. De quo theologi morales.

Tertio dividitur in juramentum *judiciale* et *extrajudiciale*. Hoc extra judicium fit, et satis explicatur a theologis moralibus. Illud in judicio fit, et in diversas species subdividitur, ita ut aliud dicatur juramentum calumniæ, aliud dicatur in litem, cujus tres sunt

species. Prima est juramentum veritatis, sive veræ æstimationis, quod defertur parti, ad cognoscendam quantitatem, seu valorem rei per alterius malitiam ablatæ, præcedente tamen judicis taxatione.

Secunda est juramentum affectionis, per quod ratione peculiaris affectionis, aut utilitatis erga rem sibi deperditam, conceditur huic parti, præcedente tamen judicis ratione, rem majoris æstimare, quam communiter valeat.

Tertia est juramentum super interesse singulari, et extra rem, quando scilicet damnum passus fuit ex non restituta re sua, quod juramento æstimare permittitur. Aliud denique dicatur litis decisivum, quod in judicio ad finiendam litem nonnunquam defertur, et si quidem hoc a parte parti defertur, quod simpliciter recusari potest, dicitur voluntaria; si vero, judice approbante, deferatur a parte parti, ita ut referri a parte possit, dicitur judiciale specifice. Necessarium vero denique dicitur, quod ob inopiam plenæ probationis a judice alterutri parti litigantium, vel ex officio, vel ad instantiam alterius partis defertur, et suppletorium etiam dicitur, ac sine justa causa recusari non potest.

Omnes homines rationis usu præditi ex natura rei sunt capaces juramenti edendi in judicio, etiam pueri ante pubertatem. Cogendi tamen impuberes non sunt ad jurandum in judicio, ob defectum perfectæ discretionis ad reverentiam juramenti requisitæ; sed nec sacerdotes in levi causa compelli debent ad jurandum in judicio, neque enim juramentum necessarium est, nisi quod fidei jurantis non omnia deferantur, quod sacerdotis dignitas dicere non patitur : perjuri autem nullo modo admittendi sunt ad jurandum in judicio, quia cum semel jam pejeraverint in judicio, periculum est ne iterum pejerent.

§ II. DE JURAMENTO LITIS DECISIVO.

XXXVIII. Judex potest ex officio parti litiganti, actori, vel reo juramentum litis decisivum deferre, nec a parte ut sic delatum recusari potest, nisi causam recusandi habeat, eamque alleget et probet; aut nisi juramentum tale a judice sibi delatum alteri parti litiganti referre velit. Quia potissimum litium expediendarum remedium est, si aliæ probationes desint, juramentum. Sunt autem causæ recusandi tale delatum juramentum plures, si is scil. cui defertur juramentum, rei gestæ ignarus sit; vel probabilem oblivionem alleget; vel actio sit talis, qua non potest quis conveniri; vel si actor plene probavit suam intentionem, vel si, actore nihil probante, reus sit absolvendus, etc.

Si tamen pars parti juramentum litis in judicio deferat, simpliciter a parte cui defertur recusari potest, vel referri potest, neque enim una pars alteram, in quam potestatem habet, compellere potest ad jurandum, et consequenter simpliciter hoc sic delatum recusari potest, referri tamen etiam potest, quia æquum est ut hic patiatur legem, quam ipse tulit. Ita ut nisi relatum taliter præstet, ex juris dispositione in causa principali non amplius audiatur, sicuti reus, si delatum a judice juramentum nec præstare velit, nec referre, pro confesso habetur. Excipiuntur tamen casus, quo per alias probationes suam causam probare velit reus, vel quo actor super facto alieno, quod plene probare non potest, juramentum reo defert, vel versetur judicium circa causam famosam furti, v. gr. In quo casu reus plerumque meliorem rei notitiam habet, quam actor, et consequenter delatum sibi juramentum referre non potest.

In omni causa, in qua licitum est transigere, potest etiam a parte parti deferri juramentum voluntarium,

quia tale juramentum vim transactionis habet : necessarium vero juramentum a judice in supplementum probationis ad petitionem actoris reo deferri potest in quavis quidem causa.

Excipiuntur tamen primo causæ criminales, in quibus potest quidem judex nonnunquam reo, ad probandam suam innocentiam juramentum deferre, si actor non sufficienter probavit crimen, nunquam tamen actori, seu accusatori in supplementum probationis, cum in tali casu, si criminaliter agatur, debeant esse probationes luce meridiana clariores.

Excipiuntur secundo causæ famosæ et arduæ, quamvis his in causis multum possit judicis arbitrium. Tertio excipiuntur causæ matrimoniales, in quibus regulariter juramento suppletorio locus non est.

In causis in quibus periculum animæ aut peccati subest, potest judex ex officio suo, deficientibus aliis probationibus, si adsint præsumptiones aliquæ, exigere juramentum de veritate dicenda a partibus, cogendo etiam eas ad id censuris ecclesiasticis.

§ III. DE INTERPRETATIONE JURAMENTI.

XXXIX. Quoad obligationem suam stricte illud interpretari oportet, quantum materia circa quam versatur, et verba pacti vel promissionis, cui adjicitur, permiserint, quia ubi de obligatione agitur, stricta fieri debet interpretatio. Et cum nec favor, nec reverentia juramenti talem extensionem exigant, sanctius servandi, si stricta illius sit interpretatio : et hinc juramentum generaliter editum ad servanda statuta, v. g., extendi non potest ad statuta illicita, neque ad statuta postmodum facta, neque ad servanda statuta usu non recepta, cum stricta juramenti facti explicatio ad hæc talia se non extendat.

Debet tamen juramentum præstitum circa materiam juris, vel circa ea quæ jus concernunt, intelligi secundum juris communis dispositionem, et ad illam restringi, neque ultra extendi, cum intentio jurantis alia esse non potuerit, quam juris communis observatio.

Generalis et optima regula est, quod juramentum bona fide præstitum interpretandum sit juxta intentionem jurantis, et ad incognita juranti, vel de quibus vero similiter non cogitavit, neque sub juramenti obligatione in se suscipere voluisset, extendendum non sit.

Solet quidem ordinarie etiam dici quod juramentum sortiatur naturam, et conditiones actus cui adjungitur, et juxta illas, sit intelligendum, cum accessorium sequatur naturam principalis.

Sæpe tamen non tam accessorium juramentum est confirmans præcise actum cui adjungitur, sed per se stans et principaliter obligationem inducens, quo in casu etiam si promissio nulla sit, sua tamen juramenti est obligatio, et consequenter non induit naturam actus cui adjungitur : nunquam tamen ita explicandum est, ut cum alterius gravi præjudicio, seu incommodo obliget, quia tale juramentum est contra justitiam, jus alterius graviter lædens.

XL. *De conditionibus quæ ipso jure tacite insunt juramentis, et plerumque subintelligendæ sunt.* Quod juramento promissorio tacite quædam conditiones generales insint, secundum quas obligatio juramenti attendenda est, ex dictis jam patet, ita tamen ut tales conditiones, quæ suapte natura tali juramento tacite insunt, etiamsi exprimantur, non faciant juramentum conditionatum, et particula *si* præ *quia* accipiatur.

Tales conditiones sunt primo, si potuero, quia ad impossibile nemo potest obligari. Secundo, si licite

potuero, quia juramentum non est vinculum iniquitatis, et quod juste ac licite fieri non potest, non dicitur homini possibile. Tertio , si Deo placuerit; quia Deo non placent, nisi licita. Quarto, salvo jure, et auctoritate superioris, quæ in omni juramento excepto excepta videtur, cum subditus obligare se non possit in præjudicium auctoritatis superioris, quominus hic in materia sibi præjudicante juramentum irritare possit. Quinto, nisi is in cujus gratiam vel utilitatem juratum est, obligationem remittat, quia invito et non acceptanti meam promissionem, aut remittenti (saltem tacite), obligari non possum , si tamen principaliter tale juramentum promissorium non sit factum Deo, quo in casu ex probabili sententia homo, quamvis in gratiam ipsius etiam factum sit juramentum, non potest remittere hoc, cum non sit ipse cui principaliter juramento promissum quid est, sed Deus, qui, quamvis juramentum remittat, si principaliter homini illud factum sit, et hic illud remittat, non remittit tamen ad remissionem hominis, si principaliter sibi juramento promissum quid sit. Sexto subintelligitur in quovis juramento, etiam hæc conditio, si res non fuerint notabiliter mutatæ; potest enim esse tanta mutatio, ut verisimile non sit, voluisse sub juramenti obligatione rem etiam taliter mutatam intelligere. Septimo, in reciproco pacto aut contractu, ea etiam conditio intelligitur, si pactis suis et promissis alter steterit, ac fidem servaverit; neque enim fidem debeo illi qui frangit fidem.

CAPUT II.

DE EXCEPTIONIBUS.

ARTICULUS PRIMUS.

De exceptione directa.

I. *Quid sit exceptio, et quomodo dividatur?* et de opposita ei replicatione. Exceptio stricte dicta accipitur pro defensione reo competente, per quam excluditur actio, quæ de jure actori competat. Varie hæ deciduntur, ita ut aliæ dicantur exceptiones dilatoriæ et temporales, quæ suspendunt tantum, et differunt ad certum tempus actionem, et intentionem actoris; aliæ sint peremptoriæ et perpetuæ, quæ tollunt omnino jus agentis, et perimunt actionem. Dilatoriæ exceptiones iterum subdividuntur in fori declinatorias, ob incompetentiam, v. g., judicis, aut quod suspectus sit, aut quod officio judicis fungi non possit, etc., quæ ab initio litis statim proponi debent, ne videantur consentire in judicem. Aliæ sunt quæ respiciunt personam litigantis, et opponuntur ad eum ab agendo repellendum, vel ad repellendum procuratorem: aliæ sunt, quæ respiciunt causam, uti est exceptio libelli inepti, litis pendentis.

Secundo dividuntur exceptiones, quod aliæ sint personales, quæ personam sequuntur, eamque egrediuntur, et ad hæredes non transeunt, et plerumque rei talis conventi exceptionem competentiæ habent. Reales aliæ quæ rei cohærent, eamque sequuntur, et consequenter ad hæredes transeunt, uti est exceptio rei judicatæ, etc. Aliæ sunt mixtæ, quasi certo quidem personarum generi competentes, ratione tamen certæ materiæ, uti est exceptio senatusconsulti Velleiani, quibus succurritur mulieribus, si per suam fidejussio-

nem lædantur : exceptio operarum contra patronos libertis concessa, ad eas operas obligantes, quæ concessæ libertatis causa sunt impositæ : exceptio senatusconsulti Macedoniani, quæ filios familia sine consensu parentis mutuum accipienti competit, et exceptio denique restitutionis in integrum.

Tertio dividuntur exceptiones, ut aliæ sint civiles a jure civili introductæ ; aliæ vero sint prætoriæ a prætore introductæ, ex æquitate quadam naturali, etc., de quibus civilistæ. Exceptioni opponitur replicatio, per quam actor excludit exceptionem rei, et est quasi exceptionis exceptio ; huic autem replicationi objici potest a reo duplicatio, et ab actore triplicatio, et a reo quadruplicatio, et sic deinceps, ita tamen ut a judice, ne nimium extendatur judicium his allegationibus, ex officio possit modus præfigi.

II. An, et qualiter licitum sit *excommunicato excipere in judicio*, vel appellare, vel alia defensione uti ? Non tantum excipere potest in judicio excommunicatus, sed omni alia defensione etiam appellationis uti potest. Quamvis enim agere ipsi in judicio, aut reconvenire actorem, non permittatur, voluntarie provocando ad judicem, quæ tamen necessaria illi sunt ad defensionem media, jus naturæ non permittit illi auferri ; quin ipsam appellationem etiam prosequi potest, etiamsi ut sic sit actor principalis, quia utitur defensionis jure.

Exceptio excommunicationis quamvis inter dilatorias numeretur, ante litis contestationem ordinarie opponendas, potest tamen ea in qualibet parte judicii, etiam post conclusionem in causa, usque ad sententiam definitivam, si ea scienter etiam ab initio omissa fuit opponi, ne quis cum animæ suæ periculo excommunicato communicare cogatur, et ut magis censura ec-

clesiastica timeatur. Quamvis enim ad legitimas expensas excommunicato faciendas condemnari possit, qui sciens exceptionem hanc omisit, et frustra laboribus et sumptibus fatigavit actorem excommunicatum.

Quod si tamen aliquis exceptionem excommunicationis alicui objiciat, ut ipsum ab agendo repellat, debet speciem illius (utrum sit major vel minor excommunicatio), et nomen excommunicatoris proprium et appellativum (vel saltem nomen dignitatis) exprimere (ut sciatur delegatus, an ordinarius judex hic sit), et intra octo proximos dies, ab objecta excommunicatione, hanc probare apertissimis documentis (per testes scilicet vel instrumenta), admittendus iterum intra tale tempus, si prima vice in probationem defecerit; non tamen tertio volens excipere, quia præsumitur, postquam bis jam defecit in probatione, malitiose, et tantum ad subterfugiendam sententiam hoc agere, nisi nova excommunicatio post duas primas probationes interveniat.

Contra personas testium exceptiones objici et probari debent, ante latam sententiam (antequam in causa conclusum sit) definitivam. Immo ordinarie fieri debent hæ exceptiones ante publicatas attestationes, nisi non tam contra personam testis, quam contra dictum illius opponatur, aut sententia non transeat in rem judicatam, quia in his casibus semper locus est opponendi, ad impediendam saltem excommunicationem.

III. *An, et qualiter judex certum terminum statuere possit*, intra quem exceptiones dilatoriæ, vel etiam peremptoriæ proponi debeant? Potest judex partibus litigantibus terminum statuere, intra quem omnes suas dilatorias exceptiones proponere debent, ita ut si post terminum talem finitum opponere aliquas velint, non

audiantur, nisi prius protestatæ fuissent partes (non tantum generali clausula : *salvis aliis exceptionibus* : sed in specie, et quidem in scripto exprimendo eas, quas velint postea probare) ; aut exceptio aliqua de novo emergeret parti competens, vel nisi is qui opponere vult, juramento asserat, se post lapsum terminum ad notitiam illius primum pervenisse (ad decidendas, scilicet, et abbreviandas lites, sine singulari tamen partium præjudicio); aut si intra terminum assignatum probare exceptionem talem non poterit, possit tamen postea (paria enim sunt non competere exceptionem, et eam probari non posse) ; aut exceptio sit de incompetentia judicis, in quem pars consentire non possit (quia est exceptio nullitatis, quæ semper opponi potest); aut sit exceptio litis finitæ, ad peremptorie infringenda merita causæ; vel sint exceptiones contrariæ a reo propositæ, quæ cum simul probari non possunt, potest reus ab una probanda transire ad aliam, vel denique sit exceptio excommunicationis.

Etiamsi specifice ad proponendam etiam exceptionem excommunicationis intra tempus præfixum judex statuerit (quia beneficium a jure concessum, non potest auferre judex), et si quis etiam juraverit se non oppositurum hanc excommunicationis exceptionem; cum talis exceptio non tam in favorem partis quam ob bonum publicum concedatur, et ob periculum animæ.

De peremptoriis tamen exceptionibus, utrum a judice certus etiam terminus illis præfigi possit, quo elapso non amplius audiantur, dubitant AA. non tam quod possit, quam quomodo possit. Qua in re distinguendum videtur, ita ut judex terminum talibus peremptoriis exceptionibus præfixerit, vel cum causæ cognitione, vel sine ea : si prius contigit, non potest reus, post elapsum terminum, peremptorias tales ex-

ceptiones proponere; si posterius contigit, potest reus, etiam post terminum a judice positum elapsum, peremptorias exceptiones opponere, cum non possit sine justa causa, et consequenter non sine causæ cognitione, hoc jure suo proponendi exceptiones peremptorias privari.

ARTICULUS II.

De præscriptionibus.

§ I. DE PRÆSCRIPTIONE IN GENERE, ET PERSONIS PRÆSCRIBENTIBUS AC REBUS QUÆ PRÆSCRIBI POSSUNT.

IV. *Præscriptio recte definitur,* esse exceptio (peremptoria scilicet) ex tempore, et modo legibus definito substantiam capiens. Usucapio vero dicitur esse adjectio (sive acquisitio dominii, ut glossa loquitur) per continuationem possessionis (habitæ cum bona fide ac justo titulo, ut iterum glossa dicit) et temporis lege definiti; ita ut præscriptio ab usucapione juxta has definitiones differat, tanquam effectus a sua causa; quæ enim per usucapionem, tanquam viam ad præscriptionem nobis adjiciuntur, pro illis tanquam domini excipere contra adversarios titulo præscriptionis possumus; et quamvis aliqui velint, præscriptionem ab usucapione distingui in eo, quod hæc sit mobilium, illa immobilium, dicitur tamen hæc distinctio nullum in jure fundamentum habere, cum ad res etiam immobiles usucapio referatur, res tamen tanti momenti non est, ut pro ea multum litigetur, cum hodie pro synonymis accipiantur usucapio et præscriptio.

Introducta autem est a jure civili præscriptio, seu usucapio, et a jure canonico propter bonum publicum commune approbata fuit, ne diu, et fere semper quarumdam rerum dominia incerta fluctuarent, et ut liti-

bus sæpe diu duraturis finis imponatur, ac hominum ad jura sua, et res suas in judicio defendendas ignavia excitaretur, ob periculum amittendæ per præscriptionem rei suæ, si repetere eam in judicio negligerent.

Et hinc non tantum in foro externo, sed in foro etiam interno, et conscientiæ vim suam habet præscriptio, ita ut qui præscripsit, postmodum non teneatur ad rem illam restituendam, si resciret, alienam eam fuisse, cum per usucapionem legitimus rei illius dominus factus sit, utroque jure approbante, quamvis nulla culpabilis negligentia prioris domini intervenisset (nisi per judicem in integrum hic restitueretur), ut docent communiter omnes, juxta varios juris et glossæ textus, et si per errorem pristino domino restituat, tanquam indebite datum repetere posse, et ut suam vindicare.

V. Cum usucapio sive præscriptio sit modus acquirendi dominii, consequenter possunt omnes præscribere, seu usucapere, *qui sunt capaces acquirendi dominii*, ita ut etiam furiosus, aut amens, vel alio ex capite usu rationis destitutus inchoare quidem taliter constitutus usucapionem non possit, possit tamen continuare eam, si cœpta sit, dum esset sanæ mentis; cum taliter constitutus non desinat possidere, quod sanæ mentis possidere cœperat. Precario tamen rem possidens usufructuarius, creditor rem pignori sibi datam, et universim, qui non possident suo nomine, usucapere vel præscribere non possunt, uti nec clerici bona suorum beneficiorum, cum vel legitima eis possessio desit vel incapaces sint dominii sibi acquirendi, vel quæ bona habent, canonica institutione obtinere debent, sicuti autem non omnes præscribere quælibet possunt, ita contra personas aliquas certas præscribi non po-

test, quæ, scil., in judicio stare, agere, jura sua tueri, vel bona administrare non possunt, uti sunt pupilli, filii-familias in certis quibusdam bonis, capituli, ecclesiæ vacantes, etc.

VI. *Quæ res præscribi possint, vel non possint?* Regulariter omnes quidem res corporales, sive mobiles eæ sint, sive immobiles, præscribi seu usucapi possunt, nisi lege aliqua, aut speciali ratione prohibeantur: res vero incorporales, uti sunt jura, servitutes, actiones, etc., sicuti proprie possideri non possunt, sed tantum quasi possideri dicuntur, ita proprie nec præscribi.

Sunt tamen aliqua quæ præscribi omnino non possunt, sic primo res quæ in hominum commercio non versantur, et in nullius dominio sunt, uti sunt res sacræ, liber homo, ut fiat servus, res publicæ, quæ ad publicum usum sunt deputatæ, viæ publicæ, ac platæ publicæ nullo unquam tempore præscribi possunt, etiamsi populus illis uti desinat, quia hæc, quæ sunt omnibus communia, a nemine privato possideri proprie possunt.

Secundo res furtivæ, vel vi expulsiva possessæ, seu occupatæ præscribi nequeunt, etiam a bonæ fidei possessore tempore ordinario (quamvis tempore extraordinario a bonæ fidei possessore præscribi possint), et nisi prius vitium rei furtivæ, vel violenter occupatæ, purgatum fuerit, per hoc quod ad legitimum dominum suum redierit, vel nisi a bonæ fidei possessore res talis distracta ad tertium pervenerit, quo in casu res quidem aliena non tamen furtiva distrahitur, cum hic non animo furandi, aut legitimo domino rem suam subtrahendi, quod ad rem furtivam requiritur, distraxerit rem talem. Fructus tamen ex re tali furtiva percepti, ordinario etiam tempore præscribi possunt,

si bona fide possessi sunt, neque enim partus rei furtivæ, ut ait lex, est pars rei furtivæ.

Tertio res quæ sunt meræ facultatis, seu liberæ, et gratuitæ voluntatis præscribi non possunt, quia ex talibus actibus, qui liberrime ponuntur, nulla potest induci obligatio, cum nullam contineant, nisi prohibitioni, v. g., interpositæ acquieverit cum patientia, qui actus tales meræ facultatis exercuit.

Quarto limites seu fines provinciarum, episcopatuum ac parochiarum, etc., et quæ hujusmodi limitibus cohærent, præscribi non possunt, dummodo constet tales fines fuisse legitima auctoritate positos, ne confundantur, scil., termini ad confusionem devitandam positi, et quamvis fines agrorum ad ecclesias, v. grat., spectantium præscribi possint, quoad proprietatem et dominium, non tamen præscribi possunt, quatenus sunt fines constituti certorum districtuum.

Contra ea quæ principi debentur in recognitionem supremi principatus, et universalis dominii, ac subjectionis ei debitæ, non potest a subditis, qua talibus præscribi. Potest tamen a subditis præscribi ea exemptio a tributis et censibus, quæ, non in recognitionem supremæ majestatis, sed in subsidium, ob necessitatem aliquam publicam solvuntur, cum subditus manens subditus illa solvat in signum subjectionis, non autem hæc, et quamvis mediante præscriptione ex subdito fieri possit non subditus, et exemptionem a talis principis subjectione præscribere, prout recepta praxis docet, manens tamen subditus ad ea obligatur, quæ ad superioritatem recognoscendam conveniunt.

Immo nec contra obedientiam inferiorum prælatorum episcopi, v. g., vel legitimi alterius superioris præscribere possunt subditi. Neque enim in possessione suæ immunitatis est subditus, quamdiu manet subditus,

cum tamen talis posessio ad præscribendum requiratur, nisi translative tantum præscribant, ita ut alteri, v. g., episcopo subjecti sint, non autem simpliciter, sive exclusive, ut nulli neque Romano Pontifici subjecti sint, quod esset contra jus divinum.

§ II. DE CONDITIONIBUS AD PRÆSCRIPTIONEM REQUISITIS, ET IN SPECIE DE PRIMA ET SECUNDA CONDITIONE.

VII. Quatuor conditiones ad legitimam præscriptionem requiri, certum est. Prima est possessio, eaque continua, et non interrupta. Secunda est bona fides præscribentis. Tertia est justus titulus. Quarta est tempus a lege definitum.

1a *conditio.* Quod ad omnem præscriptionem necessario requiratur possessio, aut si incorporalia præscribantur, quasi possessio, et quidem, quod non sufficiat sola naturalis, sufficiat tamen civilis, sive sola sit in præscribente, sive conjuncta sit cum naturali, ex variis juribus habetur; et ex ea ratione, quod ad præscriptionem ea requiratur, et sufficiat possessio, vi cujus transferri potest dominium, aut quasi dominium, sed sola naturalis possessio non est sufficiens ad transferendum dominium, alias etiam depositarius rem depositam prescribere posset, et possent duo simul eamdem rem prescribere, casu quo unus eam naturaliter tantum, alter civiliter tantum eam possideret, quod est absurdum concedere, ergo sola naturalis non sufficit; sufficit autem sola civilis, per quam dominia transferri possunt.

2a *conditio.* Quidquid sit de jure civili cæsareo, de jure canonico ad omnem præscriptionem (etiam immemoralis temporis, et quæ sciente domino fit), uti et omni tempore bona fide requiritur, ita ut non sufficiat bona fide inchoatam fuisse tantum præscrip-

tionem, sed bona fide etiam continuari debeat, donec tempus a lege præscriptum completum fuerit, uti constat ex pluribus juris textibus; omni enim constitutioni merito derogat jus canonicum, quæ sine peccato servari non potest, prout servari non potest lex quæ cum mala fide scientia scilicet, rei alienæ præscriptionem permittit : et quamvis in dubio præsumendum sit bona fide possedisse aliquem, nisi contrarium probetur, cum delictum non facile præsumi debeat, si tamen contra jus commune possessionem acquisiverit aliquis, et in tali casu possessionis suæ titulum allegare non possit, contra ipsum præsumitur.

Ex quo fundamento optime infertur quod primi illi, qui contra legem, sive canonica illa sit, sive civilis rite promulgatam et receptam egerunt, præscriptionem inchoare non potuerint, cum malam fidem habuerint; successores tamen, qui merito credere potuerunt antecessores suos in non observanda tali lege nihil deliquisse, contra talem legem præscribere possunt, cum bonam fidem habeant. Sunt quidem aliqui, qui putant debita personalia, vel contra actiones personales ad talia debita, et contra servitutes etiam hodie cum mala fide præscribi posse, cum talis sui debiti cognitionem et scientiam habeat, quamvis creditor illius solutionem non urgeat.

Rectius tamen alii opinantur, ob universalem SS. canonum doctrinam, cum mala fide præscribi posse negantium, etiam in his debitis ac servitutibus rusticis præscribendis bonam fidem ex parte præscribentis requiri : vel quod credat se nihil debere, nisi ab adversario suo moneatur, et urgeatur executio latæ fortassis contra ipsum sententiæ, aut servitus exigatur, vel alia invincibilis ignorantia interveniat, etc.; potest tamen

pro foro externo fieri statutum aliquod, ad lites multas cavendas, et negligentiam dominorum excitandam, ut si intra certum tempus solutionem non urserit creditor, nullum amplius ad illud debitum elapso tali termino jus habeat pro hoc foro.

Eadem tamen etiam doctrina est, circa præscribendam pœnam pro delicto impositam, contra quam præscribere potest, qui debet hanc pœnam, etiamsi sciat eam se debere, modo practice etiam judicet, ad eam solvendam se non obligari, nisi exigatur, quo in casu bonam fidem practicam habet. In servitutibus vero urbanis præscribendis requiritur insuper, ut ille qui præscribit, actum aliquem positivum contra jus alterius bona fide exerceat, putans scilicet hoc sibi licere.

Qui succedit bonæ fidei possessori in re aliqua, potest ad præscribendum etiam numerare tempus sui antecessoris, et sicuti accessione illius temporis ad complendam præscriptionem, si et ipse hic successor bonam fidem habeat; cum enim antecessor transferendo hanc rem in alium, omne etiam jus, quod circa hanc rem habebat, in eum transtulerit, habuerit autem jus eam sibi præscribendi intra tempus a jure requisitum, cujus partem jam explevit, consequenter etiam hoc jus, ut reliquo tempore addito, rem talem præscribat, in eum transtulit. Qui vero malæ fidei antecessori succedit, si singularis tantum successor sit, ex donatione, v. g., venditione, legato, etc., huic equidem antecessoris tempus, quo mala fide rem possidebat, nihil prodest ad præscribendum, neque tamen mala antecessoris fides etiam impedit illum, quo minus præscriptionem inchoare possit, si bonam ipse fidem habet, et res præscribenda nullo vitio reali affecta sit, quo minus præscribi possit: impedit autem illum ad inchoandam etiam præscriptionem, quamvis malam

fidem ille non habeat, si successor sit universalis, sive hæres antecessoris malæ fidei : vitium enim defuncti nocere ejus successori universali, cum sit (juris fictione) una cum defuncto persona, et eadem (juris fictione) hæredis talis et antecessoris illius possessio, etc., passim asseritur; nisi hæres talis præter titulum hæreditatis, alio speciali titulo rem talem possideret, aut non esset hæres immediatus, sed mediatus tantum, etc.; hoc enim in utroque casu non obesset mala fides antecessoris, cum in ordine ad talem rem, vel non sit una eademque persona (juris fictione) successor cum antecessore, vel daretur duplex fictio juris, quæ tamen a jure reprobatur.

3a *conditio.* Ordinarie requiri ad præscribendum præter bonam fidem *justum titulum*, in confesso est apud omnes, eo quod titulus sit causa et fundamentum justæ possessionis, et bonam fidem habere vix possit aliquis ab initio saltem, nisi habilem habeat et sufficientem titulum ad possidendum.

Neque tamen titulus hic ad præscriptionem requisitus verus debet esse : vera, v. g., donatio, vera venditio, vera solutio, etc. (talis enim titulus verus sine præscriptione transfert dominium); sed sufficit coloratus, sive apparens, qui bona fide putatur validus, quamvis a parte rei non sit, qualis titulus est donatio, v. g., venditio, etc., insufficiens quidem secundum se, ob latentem defectum, ad transferendum dominium in donatarium, emptorem, etc., sufficiens tamen cum usucapione, vel existimatus, ut si, v. g., hæres alicui rem tradat, quasi debitam ex legato, cum revera legata non sit, vel præsumptus tantum, si scilicet ob temporis diuturnitatem intervenisse titulum jus præsumit, cum tamen fortasse nullus intervenerit.

Et quidem in præscriptione ordinaria longi tem-

poris, decem scilicet, aut duodecim annorum, sicut et in triennali usucapione titulus non præsumitur, sed requiritur, ut allegetur et probetur titulus coloratus vel existimatus. In præscriptione autem longissimi temporis, 30 vel 40 annorum, ordinarie non requiritur titulus, qui allegetur, et probetur, sed sufficit bona fides, qua credit præscribens titulum se habere et causam possidendi, tametsi fortassis eam non habeat. Quod longe certius est, in præscriptione centenaria, vel immemoriali, cum in tali præscriptione tempus immemoriale aut longissimum tempus vim præsumpti tituli habeat, et tribuat ex privilegio fortassis a principe vel a lege concesso, etc., provenientis.

Si tamen præscriptio talis longissimi temporis, vel etiam centenaria fiat ab aliquo cui jus commune ad præscribendum resistit, vel alia contra eum præsumptio pugnat, non sufficit sola bona fides ad præscribendum, sed debet titulus certus allegari et probari (nisi præscriptio sit immemorialis, et capacitas possidendi in usucapione), cum præsumptio sit contra bonam illius fidem cui jus commune ad præscribendum resistit, si nullum possessionis suæ titulum ostendere possit.

4a *conditio seu tempus.* Res mobiles (quæ loco moveri possunt) præscribuntur triennio cum titulo, et bona fide, nisi sint res furtivæ, quarum vitium nondum purgatum est, quæ non præscribuntur, nisi triginta annorum spatio, quod tempus etiam requiritur ad præscriptionem aliarum rerum mobilium, si sine titulo usucapio fiat.

Res vero immobiles, quæ loco moveri non possunt, uti sunt fundi, prædia, domus, et similia, inter præsentes, qui in eadem scilicet civitate, vel ejusdem ter-

ritorio, ac sub eodem regimine habitant, præscribuntur cum titulo decem annis; inter absentes, qui in diversis scilicet territoriis, aut sub diverso regimine habitant, viginti annis; sine titulo vero, tam inter absentes quam præsentes, triginta annis, si sint res privatorum.

Si vero præscriptio fiat, absente per partem temporis præscribente, et per aliam partem præsente, servanda est proportio absentiæ, et præsentiæ ita tamen ut anni absentiæ duplicentur, veluti si quis per quinque annos præsens sit, qui rem immobilem usucapit, reliquo tempore vero sit absens, quindecim anni ad præscribendam talem rem requirantur.

Ad præscribenda bona mobilia et contra Ecclesiam romanam, sufficit triennium, cum circa hæc specialia ecclesiis concessa privilegia non legantur; ad præscribendum autem bona immobilia et jura ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, aut aliorum locorum piorum, etc., quidquid sit de jure antiquo, hodie requiruntur 40 anni de jure ordinario.

Excipitur tamen ab hoc jure communi quadragenariæ contra Ecclesiam præscriptionis casus specialis, quo jura alicujus ecclesiæ ab hæreticis vel schismaticis recuperatæ, et ad fidem catholicam conversæ ab episcopo, v. g., convertente intra triennium præscribuntur, ob favorem scilicet fidei, et ad excitandam episcoporum diligentiam, si in culpabili mora convertendæ talis plebis proprius episcopus fuerit.

Ad præscribenda bona immobilia et jura ad Ecclesiam romanam pertinentia requiritur tempus centum annorum, quod privilegium centenariæ præscriptionis etiam aliis indirecte, et in consequentiam prodesse potest, quatenus jus habent ab Ecclesia romana, et huic præjudicantur.

Et quamvis contra ea quæ de jure divino, quoad supremam jurisdictionem et potestatis plenitudinem, ac specialiter reservata in signum specialis prærogativæ, etc., Papæ conveniunt, quæ nunquam inferioribus concedi solent, nullo unquam tempore præscribi possint, ut ex dictis patet, immemorialis tamen præscriptio negari non debet circa ea quæ nonnunquam inferioribus etiam a Pontifice conceduntur.

VIII. *Præscriptio quoad jura quædam spiritualia.* Beneficium quod possidet aliquis bona fide, cum titulo colorato, contra alium cui legitime beneficium tale collatum fuit, ut præscribat ille, 10 requiruntur anni inter præsentes, inter absentes vero 20, anni, juxta modum quo alia jura et bona immobilia præscribuntur, cum peculiare privilegium, quoad talem præscriptionem, non habeat beneficium : sine titulo autem non potest præscribi unquam, cum sine titulo neque bona fides adsit, quæ sine canonica institutione (saltem existimata) non habetur : per hodiernam tamen cancellariæ regulam statuitur, ut si quis bona fide et cum titulo colorato, per triennium pacifice beneficium possederit, quod absque simonia (reali scil.) ingressus est, ita ut neque intrusus fuerit in tale beneficium apostolicæ dispositioni reservatum, molestari amplius super tali beneficio non possit, et tutus sit non tantum in foro externo ad vitandas lites, sed etiam in foro conscientiæ ad tollendos scrupulos.

Jus eligendi episcopum aut alium prælatum, extranei clerici, qui non sunt de collegio, ut præscribant, 40 anni requiruntur cum titulo colorato, vel tempus immemoriale sine titulo, si hoc usucapere velint, exclusis capitularibus. Si vero jus hoc per præscriptionem obtinere volunt ut una cum capitularibus ipsi extranei clerici eligant, tum non opus est titulo, sed

sufficit longissimum tempus 40 annorum, prout contra ecclesiam præscribitur, neque enim in hoc casu extraneis clericis jus resistit, aut magni præjudicii res agitur, cum capitulares ab eligendo non excludantur, et horum scientia et patientia extraneo clerico ad jus eligendi præscribendum pro titulo servire possit.

Jus patronatus, sive jus præsentandi ad beneficia, si constet ecclesiam ab initio fuisse liberam, sine titulo non præscribitur a laico, nisi tempore immemoriali : et quia præsumptio juris tali præscriptioni resistit, cum titulo non præscribitur nisi 40 annis ; si vero dubium sit libera num fuerit ecclesia parochialis, possunt parochiani jus patronatus in tali ecclesia præscribere intra tempus relatum, cum verisimile sit illos fuisse fundatores : si autem ecclesia libera non est, sed constat illam patronum habere, tunc jus patronatus a laico contra verum patronum præscribi potest cum titulo colorato 10 annis inter præsentes, et 20 inter absentes; sine titulo autem annis 30, prout alia bona immobilia et jura contra privatos, præscribuntur, neque enim ut sic contra ecclesiam præscribitur, cujus parum interest hunc vel illum habere patronum. Quid autem ac in re statutum hodie sit in Tridentino, in titulo de jure patronatus videbitur.

IX. *Quomodo præscriptio temporis immemorialis et centenaria inter se differant*, et qualiter utraque probetur? Immemorialis possessio dicitur illa cujus initium hominum memoriam excedit, hominum, scilicet, qui tum vivunt; censetur autem excedere hominum memoriam, quod excedit 100 annos, qui est finis ordinarie vitæ longævæ hominis, ut adeo præscriptio immemorialis in eo differat a centenaria, quod hujus præscriptionis sit certus terminus, et non requiratur ignorari hujus initium, illius vero immemorialis præ-

scriptionis non sit certus terminus, et non sciatur quando cœperit.

Quinetiam differant inter se ex modo probandi, quamvis enim utraque per testes probari possit, potest tamen centenaria etiam per instrumentum publicum probari, ex quo de possessione 100 annorum constat, et immemorialis ut legitime per testes probetur, debent hi deponere, quod hæc ita esse a suis majoribus viderint et audiverint, neque unquam contrarium viderint vel audiverint, et quod communis semper opinio et fama publica fuerit rem ita, et ita se habere; et ex probabili debent hi testes 54 annorum esse, qui de 40 annis testantur, intra hoc tempus nunquam vidisse vel audivisse se aliud.

§ III. DE NONNULLIS IMPEDIMENTIS PRÆSCRIPTIONIS.

X. *Quando præscriptio non procedat, seu non currat*, vel dormiat, aut suspendatur? Præscriptio dicitur non procedere, sive non currere, quando ob aliquam causam incipere non potest, vel quia deest possessio civilis, sine qua nulla datur usucapio; vel quia bona fides aut titulus deficit, si hic ad præscribendum est necessarius; vel denique ex incapacitate ipsius rei ad præscribendum hic, et nunc inhabilis; dormire dicitur præscriptio, quando inchoata quidem legitime jam est, propter impedimentum interveniens ad aliquod tempus currere non potest, sed suspensa manet, et quasi quiescit, ita tamen ut, cessante tali impedimento, iterum currat, et continuari possit ad præscriptionem complendam tempus, quod, antequam dormiret præscriptio, currebat, et tempus, quod post ablatum impedimentum, currit.

Censetur autem tali modo dormire, primo tempore hostilitatis sive belli. Secundo, dormit præscriptio

contra ecclesiam, quando hæc vacat, vel si prælatus agere non possit censura aliqua, aut impedimento juris (non facti tantum) impeditus. Tertio, contra Ecclesiam romanam dormit, si schisma sit in illa ecclesia; vel contra romanum imperium, si vacat hoc, aut contra pupillum, si duret adhuc pupillaris ætas, etc., quia in his casibus aut jura non dicuntur, vel de jure agere non potest, contra quem præscribitur, vel suo legitimo defensore caret ecclesia, etc.

XI. *Quando, et quomodo, præscriptio interrumpatur*, et an etiam per impetrationem privilegii contrarii? Interrumpi dicitur præscriptio, quando antequam completur, ita cessat ut, cessante etiam interruptionis causa prius, et posterius tempus non continuetur ad complendam præscriptionem, sed de novo debeat inchoari, et totum tempus præcedens interruptionem sit extinctum, qualis interruptio censetur fieri, quando deficit aliquid, quod ad substantiam, sive essentiam præscriptionis requiritur, ut si amittatur possessio civilis; si cesset bona fides; si cesset titulus, ubi hic requiritur; vel si jura ita disponant (a quorum dispositione præscriptio vim suam et auctoritatem habet), prout de præscriptione longi et longissimi temporis disponunt, quod interrumpatur per litis contestationem juridicam, si postmodum sententia contra possessorem lata fuit, nisi præsumptio sit ex sufficientibus conjecturis contra actorem, quod litem malo animo, præcise ad interrumpendam aut prolongandam præscriptionem moverit.

Si quis autem impetret privilegium contrarium præscriptioni, interrumpitur quidem præscriptio, si ea nondum completa sit, quia, post impetratum privilegium videtur esse in mala fide præscribens, ex hoc videlicet capite ad privilegium sibi impetrandum motus, quod putaret rem talem ad se non pertinere; si vero

completa jam sit, nihil ei nocet privilegium impetratum contrarium præscriptioni, sed hoc tantum operatur, ut in posterum præscriptione uti non possit ad rem præscriptam sibi defendendam, cum huic, eo ipso quod privilegium contrarium præscriptioni impetrare vel voluerit, vel impetraverit, præscriptioni renuntiasse videatur; cui tamen non renuntiat, si privilegium, quod non est contrarium præscriptioni, impetravit, cum tale privilegium ad majorem tantum cautelam et corroborationem præscriptionis, etc., impetrari potius videatur.

TITULUS III.

DE FINE LITIS, SEU DE SENTENTIA EJUSQUE EXECUTIONE.

CAPUT PRIMUM.

DE SENTENTIA, ET RE JUDICATA.

§ 1. DE SENTENTIA.

I. *Quid, et quotuplex sit sententia,* et quomodo a re judicata differat? Sententia in genere definiri potest, quod sit judicialis decisio rei controversæ per pronuntiationem judicis rite factam, liti finem imponens. Duplex autem est sententia, alia *definitiva*, quæ principalem causam definit, eique finem imponit per absolutionem, vel condemnationem; alia est *interlocutaria*, quæ non super principali negotio, sed super aliquo emergente, vel incidente articulo inter principium et finem causæ fertur, quæ a definitiva in eo etiam differt, quod definitiva ordinarie ab eodem judice revocari non possit, possit autem interlocutaria ante definitivam, ut quæ nunquam respectu judicis in rem judicatam transit, nisi habeat vim definitivæ, imponentis finem illi instantiæ.

Differt autem a re judicata sententia, quod hæc sit ipsa judicis definitio et pronuntiatio, illa vero sit res controversa, de qua sententia lata est, et quæ per judicis decisionem finem accepit; subinde tamen pro eodem videntur sumi sententia, et res judicata, ut cum dicitur sententiam transire in rem judicatam, quæ tamen videtur potius esse quæstio de nomine.

II. *Qualis* sententia sit ferenda? Sententia ferri debet secundum legum et canonum præscripta, ita ut contra jus constitutionis lata, sive contra legem aut canones clare et indubitate præscribentes certam aliquam in re certa sententiam, aut modum, sit ipso jure nulla, etiam si prætextu consuetudinis reprobatæ a jure lata sit, cum consuetudo talis nihil valeat, et judex non habeat jus arbitrandi contra legem aut canones.

Si vero lata sit contra jus litigatoris, contra merita causæ scilicet, valida quidem sit talis sententia ob præsumptionem pro judice (ita tamen ut appellatio remedium afferre possit), si error juri litigatoris contrarius in sententia expressus non sit (nisi notorie injusta esset sententia), nulla tamen sit ipso facto, si error hic juri contrarius expressus in sententia sit, quæ enim præsumptio pro judice est, si error taceatur; cessat, si error exprimatur.

Debet autem sententia judicis non tantum certa esse, etiamsi summa incerta petita sit, quatenus res in judicium deducta patitur, sed debet etiam expresse, vel saltem virtualiter continere absolutionem aut condemnationem, non tamen causam, quæ judicem movit ad absolvendum vel condemnandum, nisi necessitas præcepti urgeat, prout urget in sententia excommunicationis, aut diversi effectus, quos sententia parere potest, expressionem causæ requirant.

III. *Quomodo* sententia ferenda sit? Primo ferenda

est sententia partibus litigantibus ad eam audiendam, vel trina citatione, vel una peremptoria citatis, cum illi quorum interest audire judicatum, debeant esse, vel vere, vel interpretative præsentes, quales haberi non possunt, si citati non fuerint, et contumaciter absint : nisi factum sit notorium, ita ut reo nulla defensionis causa competat. Si tamen legitime citatus ad audiendam sententiam ex justa quidem, sed judici ignorata causa absit, tenet quidem sententia; eo absente lata retractatur tamen, si legitimum absentiæ suæ impedimentum postmodum probet, aut probet eam ex alio capite iniquam fuisse, ut ne reus injuste gravetur.

Secundo, ferenda est sententia cum causæ cognitione, et servatis a jure præscriptis solemnitatibus, ita ut etiam Summus Pontifex in causis decidendis juris ordinem servare debeat (æquitate hoc exigente, et ad alios judices redundante exemplo), nisi considerata necessitate, vel utilitate dispensative, aliter agendum putet Pontifex, cujus plenitudini nihil obstat jus mere positivum humanum.

Tertio, debet ferri sententia definitiva pure, et non sub conditione; per hanc enim si conditio proprie dicta defutura, et extrinseca esset, non definiretur proposita controversia, sed maneret suspensa. Fatentur tamen A. A. ferri quidem eam sub tali conditione non debere, latam tamen tenere, cum per appellationis remedium corrigi possit.

IV. *De aliis nonnullis conditionibus* requisitis ad sententiam, et ubi, ac quomodo ea ferenda sit ? Scribi eam debere, et postea ex scripto ab ipso judice recitari, et sedendo non stando proferri statutum habetur in jure (tum ut veritas sententiæ occultari non possit, si scripto non feratur, tum ut ipsi sententiæ et judici ferenti major reverentia deferatur), nisi levis tantum, et

exigui momenti causa foret, inter viles præsertim personas, quæ sine scripto expediuntur, aut fori alia consuetudo esset, quæ observari debet, aut sententia tantum esset interlocutoria ; vel in causa notoria, vel personæ sententiam talem ferentes illustres essent, aut in dignitate constitutæ, quibus conceditur ob dignitatis prærogativam, ut sententiam in scripto conceptam per alium partibus proferre possint, etc.

Debet autem sententia ferri in loco publico, ubi tribunal ordinarium habet judex (si ordinarius sit, vel si delegatus sit ad universitatem causarum in loco delegantis; si vero delegatus sit ad particularem tantum causam decidendam, ferre sententiam potest in quovis loco honesto et congruo, cum certum tribunal non habeat), et tempore congruo, die scil. non feriato, et eo tempore ad quod citatio facta fuit ; de die, et non de nocte ; tum ut omni falsitati præveniatur, cui tenebræ potius quam dies conducunt, tum ut ne partes extraordinariæ graventur, si vel loco, vel tempore extraordinario comparere debeant, etc. Multum tamen in his potest ipsarum partium litigantium consensus, et loci consuetudo, quæ observari debent.

V. Sententia ferri debet secundum tenorem et *formam libelli*, et quidem in tribus conformis esse debet libello sententia. In re scilicet (ut judex non pronuntiet de alia re, quam quæ petita est, nisi universaliter illa insit rei petitæ : aut causa, quæ agitur, fuerit criminalis ; vel in supremo tribunali agatur), in causa petendi (ut judex aliam causam non proferat), et in actione (ut eam actionem sequatur judex, quam actor instituit), sive condemnet, sive absolvat.

Si specialem causam expressit actor in suo libello, et eam probare non possit, succumbit in judicio, et reus absolvitur ; quamvis post litem contestatam nova

causa superveniret, ex qua vincere posset actor, cum sententia feratur juxta causam, quam in judicium deduxit; si vero ex generali tantum causa dominii, v. g., nulla speciali causa expressa res petatur, tum sufficit actori ad fundandam suam intentionem quamcumque justam causam probare, vi cujus illi competat dominium, v. g., quidquid sit de rigore juris civilis, cui æquitas canonica hac in re prævalet (ad finiendas scilicet lites) juxta quam, qui in genere rem petit, omne suum jus in judicium deducere videtur (ad rem illam vindicandam, v. g.), non tantum quod tunc habebat, tempore litis contestatæ, sed etiam quod postea, durante judicii processu, cœpit competere.

§ II. DE RE JUDICATA, SIVE TRANSITU SENTENTIÆ IN REM JUDICATAM.

VI. *Quando sententia transeat in rem judicatam, ita ut retractari non possit?* Si non appellet pars litigans, contra quam sententia lata est, intra 10 dies a tempore latæ sententiæ computandos, cum tamen posset appellare, sententia transit in rem judicatam, et jus facit inter partes litigantes, ita ut saltem per remedium ordinarium retractari amplius non possit, si alias de jure subsistat (cum talis, intra tempus concessum, non appellans acquiescere sententiæ latæ per juris interpretationem censeatur, neque illa pars, contra quam lata est sententia, admittatur amplius, si iterum productis actis), vel alia ratione probare velit, sententiam contra se latam injustam fuisse (cum res judicata præsumptione juris, et de jure pro veritate habeatur), aut si prætextu privilegii, in judicio quidem exhibiti, si tamen contra illud sententia lata sit, sententiam impugnare velit, quia sententia etiam contra tale privilegium lata tenet, quia si exhibitum in judicio fuit, et tamen contra illud judicatum fuit, præsumitur

invalidum illud agnitum fuisse, aut revocatum ab eo qui jus revocandi habet.

Sunt tamen aliqui casus in quibus etiam, postquam sententia transit in rem judicatam, pars victa audiatur, vel sententia retractari debeat, ut si, v. g., pars victrix fateatur sententiam pro se latam injustam esse, vel si notorium sit sententiam esse injustam, etc., vel si a judice admissa fuit etiam, postquam in rem judicatam transiit sententia, exceptio et probatio contra injustam sententiam, quamvis enim in tali casu admittere exceptionem talem et probationem non deberet judex, si tamen admittit, debet super ea exceptione ferri sententia, et si injusta fuerit sententia, hæc retractari.

Si prima sententia transivit in rem judicatam, non tenet secunda contra primam sententiam, quæ in rem judicatam transiit, lata, si prima sententia judicibus exhibita non fuit, vel nihil contra validitatem illius oppositum; tenet vero, si prima sententia exhibita judicibus fuit, et de ejus valore disputatum, cum recte in tali casu præsumatur, quod judices primam sententiam pro nulla habuerint, etiamsi directe nihil pronuntiaverint super valore, aut invaliditate primæ sententiæ, sed tantum pronuntiaverint super causa principali.

§ III. DE SENTENTIIS LATIS A PLURIBUS JUDICIBUS SUPER EADEM CAUSA.

VII. *Si plures judices* in aliqua causa diversas proferant sententias, quænam illarum valeat? In casu, quo plures hi judices omnes sunt præsentes, dum diversas ferunt sententias, plurium sententia, sive majoris partis, quæ in unam sententiam convenit, tenet. Et sumitur *ex can.* 1, *et* 2, *dist.* 65, nisi vel ex speciali rescripto, aut privilegio quælibet sententia

pro nulla habeatur, si non concordibus judicum votis lata sit; vel nisi causa decidenda sit ex consensu duorum collegiorum, quo in casu non major pars quoad numerum personarum attenditur, sed major pars utriusque collegii.

In casu vero, quo duo sunt judices, quorum quilibet diversam ab altero sententiam profert, vel plures quidem eorum sunt, in numero tamen æquali in ferenda sententia discordant, tenet illa, si judices sint ordinarii et jurisdictionem in solidum quilibet eorum habeat, quæ pro reo fertur, non autem, quæ fertur pro actore (cum favorabiliores sint partes rei, quam actoris et promptiora sint jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, nisi sententia pro actore in causa favorabili, pro valore matrimonii, v. g., pro libertate, pro dote, pro valore testamenti, etc., lata sit; his enim in casibus, si judices dicti æquali numero discordent, valet sententia, quæ pro actore lata est, ob specialem causarum illarum favorem. Si vero sint judices ad specialem tantum causam delegati, qui in æquali numero quoad sententiam discordant, tunc superior, sive delegans adeundum est, ad quem causa sufficienter instructa remitti debet pro sententia obtinenda, quia in tali casu neuter habet jurisdictionem in solidum (saltem quoad usum, et exercitium) et unus sive altero procedere (ordinarie) aut sententiam ferre non potest.

Si unus judicum vel arbitrorum, præsentibus aliis, mandantibus, aut consentientibus (saltem ex majore parte) scriptam sententiam recitat, perinde censeri debet, ac si simul ab omnibus judicibus, vel arbitris recitata fuisset, quamvis enim sententia proferri non possit per alium, ut dictum, potest tamen proferri per alium qui est de numero judicum, modo in plurali

numero loquatur (nos judices, nos arbitri, etc.), cum talis sententia non proferatur ab uno nomine capituli, et collegialis non sit.

CAPUT II.

DE EFFECTU, ET EXECUTIONE SENTENTIÆ.

I. *Quis sit effectus sententiæ latæ* inter partes litigantes, et an ea etiam prosit vel obsit aliis? Præcipuus effectus sententiæ definitivæ est, quod inter partes litigantes, inter quas lata est, jus faciat, si ab ea non fuit tempore congruo appellatum, aut appellatio deserta fuit, quia tum habetur pro veritate aliis tamen, inter quos lata non est, ordinarie non præjudicat.

Neque enim uni per alterum iniqua conditio inferri debet; et cum litigantes inter se quasi contrahant, in ordine ad judicem, coram quo litigant, etiam sententiam ferre debent, quæ in causa tali pronuntiabitur : contractus autem eos tantum, qui inter se contraxerunt, obligant, consequenter nemo alius, quam litigantes, hac sententia tenebitur; et sicuti aliis ea non obest, ita nec aliis ea prodest ; nisi is cui principaliter, et primo loco actio vel defensio causæ in judicium deductæ competit, alium patiatur agere, quem prohibere posset, se substituendo in locum illius, vel protestando contra illum, vel si passus fuit eum, a quo causam habet, agere, aut defendere in judicio, prout iterum ex cit. c. penult. patet; vel nisi propter criminis, v. g., consortium infamia etiam in consortem redundet, aut aliorum legitime citatorum, qui tamen ad judicium venire noluerunt, intersit sententia lata; aut denique causæ sint connexæ, ita ut non possit pro uno, aut contra unum ferri sententia, quin illa etiam alterum afficiat.

II. *De aliis nonnullis effectibus* sententiæ. Plures sunt etiam alii effectus sententiæ definitivæ. Et primo quidem, quod per illam lis, seu controversia finiatur, saltem quoad instantiam judicii, cum judex sententia definitiva lata functus sit suo officio, et quoad hanc causam judex esse desinat; quamvis eodem die, quo tulit sententiam, supplere adhuc possit, quæ ad causam consequentia spectant, ut si omisit condemnare ad expensas litis, vel ad fructus restituendos, etc. Immo si ordinarius judex est, non tantum declarare postmodum potest sententiam a se latam nullam esse, sed denuo causam talem ex integro resumere potest, quia nullam sententiam ferendo non censetur suo officio functus.

Secundus, latæ sententiæ definitivæ effectus dici potest, quod ea a superiore, si rite, et juste lata sit, sit confirmanda, si nimirum confirmatio talis a superiore postulata fuit ad majus scilicet latæ sententiæ robur.

Tertius effectus dici potest, quod nullum sit rescriptum contra sententiam prius latam impetratum; si hujus non fiat mentio, et consequenter etiam collatio, v. g., beneficii, si facta fuit vitalis rescripti, nulla erit, verisimile enim est, quod Papa, v. gr., tale rescriptum concessurus non fuisset, contra sententiam, aut pronuntiationem prius a se factam cum nemo in dubio præsumatur proprium factum impugnare, sed potius præsumatur circumventus, ita ut nec motus proprius præsumptionem hac, quæ juris, et de jure est, corrigat.

Quartus effectus sententiæ definitivæ dici potest, quod interdum irroget infamiam reo condemnato, qualiter in jure, statuitur de condemnatis in causa injuriarum, sive civiliter, sive criminaliter de injuria agatur.

Quintus denique effectus sententiæ definitivæ dici

potest, quod ex sententia pro actore lata competat ei actio in factum, ad præstandum id in quo reus condemnatus est: quæ actio sicuti hæredibus etiam actoris datur, ita etiam contra hæredes rei datur. Reo autem absolùto per sententiam datur exceptio rei judicatæ contra actorem, ejusque hæredem.

III. *Per quem, et quo tempore, modo, ac ordine* executio sententiæ facienda sit? Executio sententiæ fieri debet ab eo judice qui eam tulit, si quidem sit ille ordinarius, aut Papæ delegatus, ita ut, si interposita appellatione judex appellationis prius latam sententiam confirmet, quam tulit judex a quo ad hunc remittere debeat partes pro executione, ut judicium, ubi latum est, ibi etiam perficiatur, ad meliorem reipublicæ, et talium negotiorum ordinem.

Et quamvis multi dubitent, utrum hæc ipsa executio etiam competat delegatis ab inferiore aliquo magistratu, ab episcopo, v. g., vel utrum partes ad delegantem pro executione remittendæ sint, cum delegatus talis omni suo officio functus videatur, pronuntiando sententiam, quia tamen, cui causa expedienda committitur, omnia etiam commissa merito censentur, quæ ad causæ talis expeditionem spectare videntur, ideo probabilius est etiam his delegatis suæ sententiæ executionem competere, nisi specialiter hæc illis prohibita esset.

Non est tamen sententia (saltem in civilibus) statim executioni mandanda, sed expectandum est saltem per dies decem (ut locus detur interponendæ appellationi, si parti gravatæ videatur appellandum) et in debitis personalibus tempus a jure definitum ad executionem, est tempus quadrimestre, quod condemnato ad solvendum conceditur, ita tamen, ut ex justa causa possit hoc tempus abbreviare judex.

In realibus vero actionibus sententia statim, ut ea in rem judicatam, post decem dies appellationi concessos, transiit, executioni mandanda est, et rei possessio actori, pro quo judicatum est, danda, ita ut ad executionem non sufficiat, pignora tantum dare pro re, ad quam condemnatus est, nisi restitutio statim facienda impossibilis esset, aut pars victrix sponte pignora, v. g., pro re, vel æstimationem rei, etc., admitteret, in cujus favorem restitutio præcepta est, et cogenda esset.

In causis vero criminalibus executio statim fieri potest, præsertim in Germania, ubi juxta stylum criminaliter condemnato non conceditur appellationis remedium.

IV. *An tertius interveniens pro suo interesse* possit impedire executionem sententiæ inter alios latæ? Ex jure habetur, quod, quamvis contra principalem actorem in judicio sententia lata sit, tertio tamen, cujus interest, qui tamen judicio tali non interfuit, nihil noceat, neque exinde præjudicium aliquod pati debeat, ita ut appellare etiam possit a lata sententia, neque executioni ea mandari possit, donec etiam illius tertii causa, qui ob suum interesse, postquam cognovit sententiam hanc latam fuisse, legitime appellavit, cognita fuerit, nec possessio rei, vel juris ipsi auferri, cum nemini sine causæ cognitione sua possessio auferri debeat.

Ex quibus facile patet, posse tertium pro suo interesse intervenientem impedire executionem sententiæ inter alios latæ, ita ut contra reum quidem condemnatum in judicio sententia confirmari possit, contra tertium vero, si rationabiliter appellavit, infirmari, vel saltem executio illius suspendi : quamvis ante appellationem interpositam summarie probare debeat hic

tertius appellans, suo interesse, latam contra alium sententiam, vel certe præstita prius cautione indemnitatis ille cavere deberet, si executio videretur urgere.

CAPUT III.

DE APPELLATIONIBUS.

§ I. DE APPELLATIONIBUS IN GENERE.

I. *Quid, et quotuplex* sit appellatio, et cur sit inducta? Appellatio communiter definitur, quod sit a minore, seu inferiore ratione gravaminis illati, vel inferendi, ad majorem, seu superiorem, tanquam judicem, facta provocatio. Duplex autem est appellatio, *judicialis*, et *extrajudicialis*. Illa fit ab actibus judicialibus, et interponitur, vel ante litis contestationem, ratione gravaminis scilicet, in judicio ante litis contestationem evenientis; vel post litis contestationem ante sententiam definitivam, circa interlocutoria; vel denique fit ab ipsa sententia definitiva, aut ejus executione.

Extrajudicialis est, quæ fit ab actibus extrajudicialibus gravantibus, vel quod judex extrajudicialiter procedens gravet, vel quod alii per electionem, v. g., factam, aut futuram gravamen aliquod inferant. Et quamvis hæc extrajudicialis appellatio proprie dicta appellatio non fit, nec in odiosis statuentibus aliquid de appellatione, appellationis nomine veniat, et non requirat judicem a quo, et adquem, potest tamen in latiore aliquo sensu appellatio dici, quia ad judicem superiorem causam, v. g., defert.

Causæ autem, ob quas appellationis remedium introductum est, sunt plures. Prima est, ut gravamen inique illatum removeatur. Secunda, ut iniquitas, seu imperitia judicum corrigatur. Tertia est, ut læsus per

propriam ignorantiam, vel negligentiam jus suum consequi possit: et hinc appellatio proprie dicta, quoad substantiam, est juris naturalis, quia est præsidium innocentiæ, quoad formalitates vero, seu solemnitates appellationis, est juris positivi.

II. Quid sit *supplicatio*, et quomodo appellatione differat? Supplicatio proprie, et stricte dicta, prout in hoc titulo accipitur, aliud non est, quam humilis petitio, per quam allegata læsione, sine gravamine, a principe, v. g., petitur, ut sententia lata contra supplicantem, ex mera gratia, et benignitate principis retractetur; cum enim ordinarium appellationis remedium huic fortasse non competat, æquum videbatur, ut extraordinario remedio supplicationis ei succurratur. Differt autem ab appellatione primo, quod appellatio suspendat executionem sententiæ, non autem supplicatio stricte dicta (quæ, cum meram gratiam quærat, executionem impedire non debet), sed cautio ab eo, pro quo lata est sententia, præstari debet de restitutione facienda, si supplicans causam obtinebit.

Secundo differunt inter se appellatio, et supplicatio hæc, quod appellatio fieri debeat intra decem dies a lata sententia, supplicatio autem institui potest usque ad biennium, ita tamen ut, si non fiat intra decem dies, sed intra duos annos, executio sententiæ fieri possit, etiam nulla præstita satisdatione.

Tertio differunt, quod appellatio fiat ad superiorem judicem, supplicatio vero plerumque ad eundum judicem, principem, v. g., qui sententiam tulit.

Quarto differunt, quod appellatio sit remedium ordinarium in justitia fundatum; supplicatio vero fit remedium extraordinarium in gratia principis, cui supplicatur, fundatum, etc., posterioribus tamen his temporibus beneficium revisionis ad exemplum sup-

8*

plicationis introductum est, ita tamen, ut etiam revisio hæc a vera supplicatione differat, quæ non suspendit executionem sententiæ, ut dictum, cum tamen revisionis beneficium suspendat executionem sententiæ, donec causa cognita constare possit, rescindenda num sententia sit, an confirmanda, vel reformanda.

§ II. DE IIS QUI APPELLARE POSSUNT ?

III. *Quibusnam* in genere appellare permissum sit ? Appellare potest non tantum ille contra quem sententia lata est, sed quilibet alius cujus interest ex aliqua causa, non ita fuisse judicatum, etiamsi judicio non intervenerit, ut ex dictis jam patet, ita ut non tantum suo nomine, sed alieno etiam nomine appellare possit procurator, v. g., pater pro filio, aut alius ratione commissionis, etc., modo ratam habeat talem appellationem, cujus nomine appellatum est; quin etiam fieri nonnunquam potest, ut utraque pars litigantium a sententia lata appellare possit, quatenus ea ipsis in diversis articulis contraria est, si tamen a judice etiam talis articuli decisio petita fuit : spectanda tamen est consuetudo tribunalium.

An in causa pluribus communi unus tantum appellare possit sine cæteris? Fieri hoc posse, ita ut hujus in causa appellationis victoria, etiam aliis prosit, si communi jure juventur, et idem negotium, eademque defensionis causa existat, si tamen correi fuerint, in eadem causa, et per eamdem sententiam condemnati, neque unus illorum sententiam primæ instantiæ expresse, vel tacite approbaverit, cui socii appellatio nihil prodesset, cum sponte sua ei renuntiaverit, aut tacite saltem ea se abdicaverit. Neque tamen sententia in casu appellationis contra unum ex correis lata, semper alteri correo nocet quoad condemnationem,

cum alteri non debeat auferri necessaria defensio, neque præjudicium generari ex condemnatione alterius.

IV. De aliis nonnullis in specie, de quibus dubium esse poterat, an appellare possint? Dubitari potest primo, utrum ille, qui juravit pariturum se mandatis Ecclesiæ, possit non obstante hoc juramento a sententia, et præcepto, quo se injuste gravari putat, appellare? Resp. quod sic, quia juramentum generaliter præstitum explicari debet, juxta limites juris, et justitiæ, neque extendendum ad obligationem injustam, et injuste gravantem : et hinc quamvis juraverit aliquis staturum se sententia judicis, qualiscunque illa fuerit, adhuc tamen, si per sententiam inique opprimatur, appellare potest, eo quod verba hæc generalia non extendant se ad sententiam inique gravantem. Si tamen in tali casu frivole tantum sine justa causa, et solius subterfugii gratia appelletur, nulla est appellatio, quod capitulum ne priori contradicat, in hunc sensum accipi debet.

Dubitari potest secundo, an licite appellet reus, si contra procuratorem actoris excipiat in judicio, quod non habeat mandatum, vel si excipiat, quod coram alio judice prius jam conventus fuerit ex delegatione Papæ, cujus posteriores litteræ nullam mentionem faciunt, et in neutro casu audiatur. Resp. affirmative, quod in utroque casu scilicet licite appellet, cum utrobique injustum ipsi gravamen imponatur.

Dubitari potest tertio, an licite appellet reus, conventus in judicio actione reali, si petat rem in libello petitam declarari, seu obsignari, et non audiatur. Resp. quod licite appellet, cum etiam hic injuste a judice gravetur, qui negat illi, quod a jure petendum conceditur.

Dubitari potest quarto, utrum tutor, an mater tutrix filiorum, si nomine pupilli, aut pupillorum inviti conveniantur in judicio, de causis post positam tutelam ortis, aut de novo inchoandis, licite possint appellare? Respondetur quod licite appellare possint contra tale gravamen, cum non possint de talibus litibus conveniri amplius pupillorum nomine, posita tutela; si tamen lis aliqua eum tutore, pupilli nomine, tempore tutelæ cœpta fuisset, deberet hic eam, posita etiam tutela prosequi, nisi omnis administratio in curatorem translata fuisset, ut ne indefensus destituatur pupillus in causa, quam ipse incipere non potuit.

V. *De iis quibus non est permissum* appellare. Primo appellare non possunt, qui tribus edictis, vel uno peremptorio citati dixerunt se nolle venire, in pœnam scilicet veræ contumaciæ, ob quam condemnatus fuit. Secundo non possunt appellare, qui sententiam contra se latam expresse, vel tacite approbaverunt, ut dictum. Tertio appellare non possunt, qui legitimæ appellationi adversarii sui non detulerunt, si postea in eadem causa appellare vellent; ut scilicet in eo puniantur, in quo ipsi deliquerunt. Quarto appellare non possunt, qui propria voce, ac sponte in judicio confessi fuerunt, et clara ac plena probatione convicti, quia talis appellatio præsumitur interposita subterfugii tantum causa, etc., si vero tantum confessus aliquis fuit in judicio, non tamen debito modo convictus fuit, potest quidem appellare, appellatio tamen talis, si confessionem non revocavit, et nullam rationabilem causam appellationis expressit, non habebit effectum suspensivum, qui executionem judicis a quo impediret, sed tantum devolutivum, vi cujus inhibere potest executionem judex ad quem.

§ III. DE SENTENTIIS, VEL ACTIBUS A QUIBUS APPELLARI POTEST, VEL NON POTEST.

VI. *A quibus sententiis, et in quibus causis* sit licitum appellare? In genere loquendo appellari potest a quacunque sententia valida, nisi expresse in jure sit prohibitum, quia appellatio est defensio, quæ nemini facile negari debet. Spectato tamen jure civili non nisi a sententia definitiva, non autem interlocutoria appellari potest (ad cavendam scilicet litium prorogationem, quæ de hoc jure, nisi intra triennium expediantur, expirant), nisi interlocutoria gravamen imponeret, quod per sententiam definitivam, vel appellationem ab ea reparari non potest, aut vim habeat definitivæ, vel post eam non speretur definitiva.

De jure canonico autem appellare licet ab omni sententia interlocutoria, et quovis gravamine tam ante, quam post sententiam definitivam, cum cursu temporis non exspiret litis cœptæ instantia, Tridentinum tamen, sess. 13, c. 1, et sess. 24, c. 22, De reform., videtur juris civilis observationem urgere, dum statuit, non licere appellare ab ordinariis locorum ante sententiam definitivam ratione gravaminis per interlocutoriam impositi, nisi interlocutoria talis esset, a qua etiam de jure civili appellari potest; servetur consuetudo, et praxis cujusvis tribunalis.

Potest autem appellari, vi utriusque juris, non tantum in causis civilibus, sed etiam criminalibus, ut patet ex jure et ex ratione gravaminis amovendi (ex communi tamen romani imperii consuetudine in criminalibus, præcipue capitalibus, non admittitur appellatio, ut dictum, ne multum differantur criminum puniendo executiones, per frivolas appellationes, contra probationes luce meridiana clariores), et quidem admittitur appellatio non tantum in causis gravio-

ribus, sed in minoribus etiam, immo levibus ac minimis causis ad removendam quamcunque injustitiam, et quodcunque gravamen, quod in modica etiam causa contingere potest, et quia appellationis remedium ordinarium remedium est, quæ ordinaria remedia etiam in modicis rebus conceduntur, quamvis speciali statuto loci alicujus decerni possit, ne in minima re admittatur appellatio, ad parcendum, sumptibus in temerariis quibuscunque appellationibus, et ne nimium multiplicentur lites, prout nec in curia romana appellatio admittitur pro summa, quæ non excedit 10 ducatos, et quamvis ab omnibus etiam extrajudicialibus gravaminibus appellari possit, etiam futuris, et inferendis, in judicio tamen appellari non potest, nisi a gravamine jam inflicto, aut gravaminis inferendi facta comminatione injuste a judice.

Sed non admittitur appellatio a legitima correctione prælati seu superioris, quæ sit regularis disciplinæ causa; remedium enim appellationis, non ad iniquitatis defensionem, sed ad præsidium innocentiæ institutum est; ob quam causam nec secularibus clericis appellare conceditur contra disciplinam ecclesiasticam : hinc in concil. triden., sess. 13, c. 1, De reform., prohibetur appellatio in causis visitationis, et correctionis; et in c. 1, De reform., sess. 22, statuitur ne appellatio executionem quæ ad morum correctionem pertinet, suspendat : quæ tamen intelligi debent casu quo prælatus aut superior, sive secularis ille sit, sive regularis, modum in corrigendo non excedat; conceditur enim contra tales, modum notabiliter in correctione excedentes, aut formam præscriptam non observantes appellatio, ita ut talem appellationem nec privilegia concessa impedire possint, quia tunc prælatus seu superior potestate sua abutitur; quæ tamen ipsa

appellatio, sicuti ordinarie non impedit, aut suspendit executionem, sed tantum effectum devolutivum parit, ita etiam excessus ille, ob quem fuit facta appellatio, non tantum exprimi debet in libello appellationis, sed etiam probari debet, cum non præsumatur.

VII. *De appellatione ab excommunicatione, interdicto, et suspensione.* Potest quidem a sententia excommunicationis, et interdicti appellari, neutra tamen censura per appellationem, quæ latam excommunicationis, aut interdicti sententiam subsequitur, suspenditur; sed parit tantum effectum devolutivum, quod idem etiam dicendum est de suspensione ab officio divino, et a suspensione ab ingressu ecclesiæ.

Cum enim censura secum trahat executionem sententiæ, quo magis scilicet timeatur, et ne per appellationes tales vilescat auctoritas ecclesiæ, et censura contemnatur, consequenter non habebit effectum suspensivum postposita appellatio, sed tantum devolutivum, ut judex ad quem examinare possit, utrum juste lata sit, et absolvere ab ea, si videatur, aut remittere pro absolutione ab excommunicatorem, v. g., quin immo non obstante appellatione tali non impeditur judex, qui excommunicavit, v. g., aliquem, quominus talem excommunicatum esse, denuntiet publice, vix tamen hodie fieri hoc posse videtur post concil. constant. extravag. *ad evitanda*, ubi de vitandis, et non vitandis excommunicatis statuitur.

Certius est, cum ea quæ a communi jure exorbitant, extendenda non sint, illius tantum suspensionis, per postpositam appellationem, executionem non impedire dicitur, quæ sit ab officiis divinis, aut ingressu in ecclesiam, consequenter de aliis suspensionibus, ab ingressu, v. g., in rei alicujus possessionem, a percipiendis fructibus beneficii, etc., intelligi hoc non debet,

et probabiliter etiam intelligi hoc non debet de suspensione, quæ sit ob delictum mere præteritum, et non tam medicina contumaciæ, quam pœna delicti est.

VIII. *De quibusdam casibus in quibus appellatio non admittitur*. Contra *prælatum electum*, et a legitimo superiore jam *confirmatum* non admittitur appellatio, aut exceptio ad executionem illius, et possessionis immissionem impediendam, nisi rationabilis causa allegetur. Licet accusatio contra eum, et denuntiatio admittatur, nisi excipiatur contra electores, aut confirmatorem, quod eligendi, aut confirmandi potestatem non habuerint, et hoc in continenti probari possit, aut contra electum excipiatur, quod crimen commiserit, cui infamia juncta sit, aut quod commiserit crimen falsi in confirmatione obtinenda, etc.

Sicuti enim in his casibus admittitur exceptio, ut consulatur bono Ecclesiæ, ita in aliis casibus non admittitur ob præsumptionem, quam pro se habet post electionem, et confirmationem, et ob præsumptionem, quod malitiose alii velint illum impedire.

Sed alii etiam sunt casus :

Primo contra jus, aut juris executionem non admittitur appellatio, quia jus neminem injuste gravat, nisi causa aliqua rationabilis allegetur, et probetur, propter quam in speciali tali casu jus commune locum non habet.

Secundo ob hanc ipsam causam non admittitur appellatio a religiosis facta contra constitutiones suas regulares.

Tertio non admittitur appellatio a pœna per legem definita, et a sententia judicis ad hanc pœnam condemnantis ne videatur talis conqueri potius de legis iniquitate, quam judicantis.

Quarto a mera executione appellari non potest, nisi

modum, formam præscriptam, et limites positos excedat, in alio enim casu non censetur gravare merus executor, qui nullam cognitionem, sed nullum ministerium habet, sed judex potius executionem talem mandans.

Quinto, qui juramentum detulit ad causam decidendam, non potest a sententia judicis appellare, quamvis possit ille cui juramentum delatum est, si ex causa rationabili noluit illud admittere, et propterea condemnatus est. Cum enim ille, qui juramentum detulit, sponte hanc viam ad causam decidendam elegerit, consequenter merito illi negatur appellatio, quæ tamen alteri jurare justa de causa recusanti, non negatur.

Sexto appellari non potest de jure civili contra sententiam in judicio possessorio latam, quia non affert magnum et perpetuum præjudicium, cum talis in petitorio omne gravamen amovere possit, vel si non possit, conceditur ipsi etiam a sententia in possessorio lata appellatio, velut a gravamen aliter irreparabili. De jure canonico autem, ubi etiam de minimis conceditur appellatio, etiam a sententia in possessorio lata appellari potest.

Septimo admitti non debet appellatio manifeste frivola, quæ scilicet sine legitima causa interponitur, neque excusatur subditus, quo minus teneatur obedire superiori suo ob frivolam talem appellationem interpositam, sed potius puniendus est.

IX. *De causis commissis adjecta clausula : appellatione remota.* Per hujusmodi clausulam non tantum prohibetur, et revocatur appellatio frivola, sed etiam justa, ac legitima, si ea non sit specialiter in jure expressa, et concessa; si enim tantum frivolæ appellationes per hanc clausulam removerentur, nihil vel certe pa-

rum illa clausula operaretur, cum ea etiam non apposita frivolæ appellationes de jure communi admittendæ non sint.

Clausula autem quælibet in rescripto apposita, quamvis strictam interpretationem mereatur, si a jure communi exorbitet, ita tamen intelligi debet, ut operetur aliquid. Dicitur autem appellatio in jure expresse concessa, et indulta in omni illo casu, in quo a jure factum aliquod pro gravamine agnoscitur, contra quam appellationem nihil operatur clausula adjecta rescripto, v. g., appellatione remota.

Effectus ergo clausulæ illius, appellatione remota, est quod tollat omnem appellationem legitimam quæ non reperitur expresse a jure concessa, non quidem quoad effectum suspensivum (nisi judex ad quem ex speciali causa inferiori judici, a quo appellatum fuit, executionem inhibeat), ita ut judex a quo, non deferens tali appellationi, quantumvis probabili, non puniatur, nec attentata post talem appellationem revocentur a judice ad quem per viam nullitatis, licet possint revocari per viam querelæ.

Potest autem causas cum hac clausula, appellatione remota, committere solus pontifex, tanquam judex supremus in causis ecclesiasticis : in causis vero profanis, et inter laicos solus imperator, aut alius judex qui superiorem in temporalibus non agnoscit (neque enim inferior jus superioris, ad quem appellari potest, tollere potest), et clausula hæc in rescripto, plures articulos continente, qui a se invicem dependent, si ab uno eorum removeatur appellatio, etiam in aliis ejusdem rescripti articulis non concessa censetur, cum ad causam principalem, quæ committitur appellatione remota : omnes eodem modo se habeant. Quod si vero plura diversa negotia, seu

causæ non connexæ in eodem rescripto ponantur, attendi debet, ubi ponatur clausula appellatione remota, ita ut ad omnia antecedentia extendi quidem possit, non autem ad consequentia, odiosæ enim restrictiones ad sequentia se ordinarie non extendunt, nisi connexa sint hæc consequentia cum accedentibus.

§ IV. IN JUDICIBUS, A QUIBUS ET AD QUOS APPELLARI POTEST, VEL NON POTEST.

X. *A quibus judicibus appellari potest, vel non?* Appellari regulariter potest per se ab omni judice, qui sententiam tulit, sive ordinarius, sive delegatus fuerit, etiamsi communi consensu partium judex talis impetratus fuerit, aut prorogaverint in se judicis alias non sui jurisdictionem, cum in tali casu judicem quidem approbasse censendæ sint, non tamen sententiam, contra quam justum defensionis remedium sibi licitum voluerunt.

Intelligi tamen hoc debet, quod de appellatione a quovis judice per se licita dictum, quod appellari scilicet a quolibet possit, nisi nullum ille superiorem in ordine ad sibi competentem jurisdictionem habeat (de essentia enim appellationis est, ut fiat ad superiorem : ergo ubi non est superior, locum habere non potest appellatio), vel nisi judex non sit, sed merus executor tantum, ut arbiter compromissarius, cum respectu horum nullam jurisdictionem habentium nulla possit fieri jurisdictionis suspensio, sicuti tamen fieri solet per appellationem proprie dictam.

XI. *Coram quo judice sit appellandum.* Appellatio, ut valida sit, et effectum tam suspensivum, quam devolutivum habeat, ordinarie interponi debet coram judice, qui sententiam tulit, et a quo appellatur. Ita ut, si plures judices simul sententiam protulerunt, coram

omnibus simul congregatis appellatio fieri debeat; vel si non omnes, aut nullus judex, a quo haberi possit, coram quo appellatio fieret, tum fieri ea debet coram judice ad quem, et judici a quo intimari, aut si neque hujus copia haberi possit, coram viris honestis, vel etiam uno honesto, adhibitis testibus, vel coram notario, qui testibus adhibitis instrumentum hac super re, quo appellatio scilicet fuerit interposita, conficiat.

Sufficit etiam nonnunquam, si gravi metu quis impediatur ab appellatione, protestari coram judice, vel si coram hoc non possit, coram viris honestis, quod ob gravamen tale appellare vellet, nisi prohiberetur, expressis etiam causis appellationis (saltem in genere), tum enim perinde haberi debet, ac si appellasset, si intra decem dies a lata sententia protestationem talem interposuit.

XII. *Ad quem judicem sit appellandum?* Gradatim regulariter fieri debet appellatio ad proximum semper et immediatum illius a quo appellatur, superiorem, non autem, omisso medio, ad remotum et mediatum, ne judex intermedius contemptus esse videatur cum confusione jurisdictionum; non est tamen de jure canonico nulla appellatio, quæ omisso medio seu proximo, ad mediatum, et remotum superiorem facta est, sed valet si pars adversa nihil opponat, quia ut sic censetur pars nihil opponens consentire in mediatum, et hujus in se jurisdictionem prorogare. Immo sunt plures casus, in quibus ob speciales rationes licite ad mediatum superiorem, omisso proximo, appellari possit.

Sic primo licet de jure canonico a quolibet inferiore judice in causis ecclesiasticis immediate appellare ad summum pontificem, ob prærogativam sedis aposto-

licæ, cum omnibus inferioribus judicibus concurrentem, nisi appelletur a subdelegato delegati pontificii, cum enim in tali casu delegatus papæ repræsentet papam, consequenter ad hujus subdelegato non immediate ad papam, sed ad delegatum papæ subdelegantem, si jurisdictionem aliquam subdelegando sibi reservarit, appellari debet. Secundo ad legatum papæ, immediate appellari potest, omissis intermediis judicibus, episcopis, archiepiscopis, etc. Tertio si [illegible] scripta habeat ad remotum immediate [illegible] si proximus deneget palam justitiam, [illegible] bilis, vel si judex inferior et medius s[illegible] tum causam remittat. Quinto si episc[illegible] suo subdito in casu electorum arbitr[illegible] non ad alium, quam ad papam sit appel[illegible] nerali episcopi vicario, non ad episcop[illegible] una cum suo vicario idem tribunal est, sed ad archiepiscopum appellari debet, et a sententia judicis delegati, ad delegantem vel ejus successorem, si aliquid jurisdictionis hic sibi reservavit, appellari debet.

§ V. DE FORMA, SEU MODO APPELLANDI, ET QUOTIES APPELLARE LICEAT.

XIII. Appellatio fit vel statim, judice adhuc pro tribunali sedente, aut saltem ad extraneos actus nondum divertente, vel ex intervallo. Si statim fiat, sufficit eam facere viva voce, dicendo, v. g., appello, et hoc in actis per notarium scribatur; si fiat ex intervallo, in scriptis per libellum appellatorium fieri debet, in quo exprimatur nomen illius, qui appellat, nomen judicis, contra quem, et contra cujus sententiam appellatur, et nomen judicis, ad quem appellatur (quamvis absolute necessarium non sit, ut vel nomen judicis a quo, vel nomen judicis ad quem exprimatur); neque tamen requiritur, ut, si in scripto appellatur,

legatur hæc appellatio coram judice. Cum ad intentionem juris sufficiat, porrectam eam appellationem judici a quo fuisse, ne appellans postmodum variare possit.

Potest autem appellari, sive voce, sive scripto fiat appellatio, non tantum per verba expressa : appello, provoco, etc., sed etiam per æquipollentia (certa verborum forma non requiritur, sufficit suam intentionem expressisse); quin ipso etiam facto, suscipiendo, v. g., iter Romam ad causæ alicujus decisionem, appellari potest. Modo serventur ea quæ in appellatione verbis expressa servari debent, et si extrajudicialis fit appellatio per susceptum iter, ad eum superiorem fiat, qui per viam querelæ adiri potest citra omnem appellationem.

Neque tamen valet appellatio generalis, facta super omni causa, quæ contra appellantem posset aliquando moveri (cum talis non appellet a gravamine aliquo, cum nullum, nec alicujus comminatio illud urgeat), neque valet generaliter facta appellatio ab omni gravamine, quod sibi inferri posset, nisi fiat super certa causa ab eo qui in uno, v. g., articulo a judice a quo gravatur, cui licet per viam appellationis totam causam hanc ad superiorem judicem deferre.

XIV. *De forma, seu modo appellandi a sententia interlocutoria, vel gravamine extrajudiciali.* Talis appellatio, ut valeat, debet fieri in scriptis, et expressa causa appellationis (nisi ex arduis una sit, quæ sedi apostolicæ specialiter reservatur). Ad minuendas litium molestias, et debent apostoli, sive litteræ dimissoriales a judice a quo peti, et dari, quibus instruatur superior judex, quare appellationi sit delatum, vel non.

Neque potest in judicio talis appellationis alias postmodum causas prosequi, quam nominatim in libello

appellationis expressas. (Neque enim a solo gravamine fit hæc appellatio, sed a gravamine propter hanc causam, quam appellans coram judice appellationis proponere de novo vult, aut ex actis de novo producendis processus primi judicis justificari vel impugnari, sed tantum ex illis quæ coram ipso acta vel exhibita fuerunt.) Cum ex aliis actis videri non possit, utrum judex a quo injuste gravaverit, qui etiam docere debet taliter ab interlocutoria, aut gravamine appellans, quod legitimam exceptionem opposuerit, auditus tamen non fuerit, et ideo appellaverit, ut fiat scilicet appellatio non a gravamine præcise futuro, si non admittatur exceptio, sed a gravamine præsente, in casu scilicet non admissæ exceptionis.

XV. *De forma, seu modo appellandi a sententia definitiva.* Quod viva voce fieri possit talis appellatio, si statim judice adhuc pro tribunali sedente fiat, per verbum appello vel æquivalens, aut factum ipsum ; et si fiat ex intervallo, intra decem tamen dies ad appellandum concessos, quod fieri debeat in scripto, nisi causæ tantum levioris momenti essent; et quod in tali appellatione necessarium non sit, causam appellandi in specie allegare, sed sufficiat in genere dicere, gravatum se esse, et ideo appellare, etc., ex dictis jam patet; ex quibus etiam habetur, quod in aliquibus, et in quibus casibus causa in specie exprimi debeat, ut valida sit appellatio; et etiamsi appellans in aliis etiam casibus causam aliquam appellandi exprimat, possit tamen in hac a definitiva sententia appellatione coram judice appellationis alias etiam causas prosequi, et non allegata allegare, non probata probare, etc., dummodo sint ad causæ decisionem inservientia.

Neque enim appellans a sententia definitiva ideo semper appellat, quia injustum gravamen illi illatum

fuit, et consequenter, ut hoc appereat, ex antiquis tantum probationibus, et actis procedere potest, sicuti de appellatione ab interlocutoria dictum, sed quod contra ipsum pronuntiatum sit, et speret meliorem sententiam obtinere apud judicem appellationis; quæ dici etiam possunt de appellatione ab interlocutoria, quæ vim definitivæ habet.

In eadem causa a sententia definitiva bis a qualibet litigantium parte appellari potest (ne per multas scilicet appellationes lites fiant perpetuæ), nisi super diversis articulis in eadem causa sæpius graveretur aliquis, quo in casu (saltem de jure canonico) sæpius appellare potest super diversis gravaminibus.

§ VI. DE TEMPORIBUS, SEU FATALIBUS APPELLATIONUM.

XVI. Fatalia dicuntur illa tempora quibus elapsis facultas, quæ appellandi causa concessa est, intercidit, et extinguitur; talia fatalia sunt quatuor : primum est tempus interponendæ appellationis; secundum est tempus petendi, et concedendi apostolos; tertium est tempus præsentandi, seu offerendi prædictos apostolos judici ad quem; quartum est tempus ad prosequendam, et finiendam appellationem concessum.

1° *De tempore interponendæ appellationis.* De jure antiquo appellandum fuerat in causa propria intra biduum; in causa aliena, seu procuratorio nomine intra triduum, a prolatione sententiæ numerandum : hodie tamen jure novo intra decem dies a die gravaminis illati etiam extrajudicialis, vel latæ sententiæ etiam interlocutoriæ utiliter appellabitur, utroque jure tempus hoc approbante, ad cavendam scilicet litium prolongationem, et litigantium damna. Est autem hoc tempus decennii, intra quod fieri debet appellatio, in principio utile, in progressu tamen continuum, ita ut

non incipiat currere, nisi a tempore scientiæ, postquam scilicet pars litigans scit sententiam contra se latam esse; vel postquam scivit, si extrajudicialis sit appellatio, gravamen in sui præjudicium illatum esse aut inferri : si vero cœpit currere, continuum erit usque ad idem punctum temporis, post 10 dies elapsos, a quo incepit, solemnes etiam ferias includendo, jure scilicet tempus interponendæ appellationis sic disponente, ut appellans deliberandi quidem tempus habeat, quod tamen nec nimis breve sit, nec nimis longum, cum etiam feriatis diebus appellare liceat, ut supra dictum.

2° *De apostolis, et tempore illos petendi.* Apostoli hoc loco dicuntur litteræ dimissoriæ, quas judex a quo fuit appellatum, transmittit ad judicem ad quem est appellatum, quibus testetur Titium, v. g., a sententia a se lata appellasse. Sunt autem variæ apostolorum, seu litterarum dimissoriarum species : alii dicuntur dimissorii ad judicem ad quem directi, quibus appellatum ad illum, et admissa appellatio ei significatur; alii dicuntur reverentiales apostoli, quibus significat judex a quo, admissam a se appellationem, non ex justitiæ causa, sed ob reverentiam illius, ad quem appellatum est; alii dicuntur refutatorii, quibus significat judex a quo, judici ad quem, quod a se admissa non fuerit appellatio, exprimendo causam etiam hujus non admissionis; alii dicuntur conventionales, quos pars adversa admittens appellationem dat parti appellanti, admittens appellationem, sive in judicio, quamvis judex eam non admittat, sive extra judicium; alii denique vocantur testimoniales, quando scilicet absente judice coram notario sit appellatio, ita ut de tali appellatione per hos apostolos testetur notarius, etc.

Tenetur autem judex a quo appellanti, et apostolos

petenti tradere, adeo quidem, ut si cum debita instantia, loco, et tempore congruo requisitus non tradat, sed in causa procedat, non valeat processus, et retractandus sit per judicem appellationis, præsumitur enim malo animo processisse judex a quo, si apostolos negavit, nisi ultro appellationi renuntiasset, qui appellavit.

Peti autem debent, et possunt ab appellante (sive a definitiva, sive ab interlocutoria, sive judicialiter, sive extrajudicialiter appellatum fuerit) et exhiberi a judice, a quo hi apostoli hodie intra 30 dies (quos inter a die sententiæ latæ, et scientiæ habitæ connumerandos, si non petiverit appellans, censetur appellationi factæ renuntiare, quæ est præsumptio juris, et de jure), et peti debent, ac dari expensis appellantis, prout communis praxis habet; et quem instanter, et sæpius (instantius, et instantissime) vel uno contextu, vel interposito etiam actu extraneo successive peti debent, ita tamen ut ad accipiendos petitos apostolos judex a quo certum tempus præfigere possit, cum illius sit ex causa prorogare, aut arctare tempus a jure concessum, et si appellans illo tempore non compareat, censeatur appellationi suæ renuntiasse.

3° *Tempus præsentandi apostolos.* Præsentari vero debent hi apostoli judici ad quem (nisi certum tempus ad introducendam suam appellationem præfixerit judex a quo, quod facere potest) intra tempus sex mensium, a tempore interpositæ appellationis numerandum (jure scilicet temporis hoc spatium ad introducendam appellationem præscribente, aut judicis arbitrio, ut certum tempus præfigat, relinquente, tum ut appellanti deliberandi relinquatur libertas, utrum interpositam appellationem prosequi velit, tum ut ne nimium prolongentur lites), ita ut si intra

hoc a jure concessum, vel a judice cum licentia juris præfixum tempus suos apostolos non præsentaverit, et appellationem suam non introduxerit apud judicem ad quem, deserta censeatur appellatio.

4° *Intra quod tempus appellans prosequi debeat appellationem, et finire.* Annus appellanti datur ad prosequendam, et finiendam appellationem, et ex justa causa necessaria et evidenti, biennium, ita tamen ut judici a quo, tam ordinario, quam delegato liceat brevius etiam tempus præfigere ad prosequendam appellationem suam, quod tempus si non observaverit appellans ad prosequendam suam appellationem, censeatur appellationem suam deseruisse, sive judicialis illa appellatio fuerit extrajudicialis; cum sit eadem utrobique ratio, ne nimium scilicet ad prosequendam appellationem tempus prolongetur, et ne nimium etiam restringatur.

Interim tamen, impedito agere, et appellationem prosequi, nec annale, nec biennale tempus currit, cum hoc tempus ad prosequendam appellationem remedium sui juris defendendi, utile appellanti esse debeat.

XVII. Quod impedito legitime intra anni aut biennii tempus appellationem interpositam prosequi, tempus hoc non currat, sed post annum, aut biennium elapsum ad appellationi prosecutionem hic admittatur, ex dictis patet, ne præjudicium grave tali generetur, et a jure suo impetrando, sine sua culpa excidat.

In specie vero sex communiter impedimenta afferuntur, ob quæ appellans etiam post elapsum anni, aut biennii tempus admitti debet ad prosequendam appellationem. Primum est impotentia, propter infirmitatem, v. g. paupertatem, etc., ut prosequi non possit appellationem intra tempus conveniens.

Secundum est, si appellatus, vel contra quem appellatum est, impediat per se vel per alium appellantem a prosecutione appellationis per suas cavillationes, v. g. frustatorias dilationes petendo, prorogando judicium, etc.

Tertium est, si uterque appellans, et appellatus pendente appellatione compromiserunt in arbitros, vel expresso consensu convenerunt, ut suspendatur appellationis prosecutio, nisi judex videns periculum, aut præjudicium tertio imminere, ex officio præcipiat, ut procedatur in causa appellationis, non obstante compromisso, aut expresso partium consensu.

Quartum est, si judex ad quem noluerit, vel non potuerit causam appellationis audire, et cognoscere.

Quintum est, si appellans a prosequenda appellatione impediatur facto tertii, vel propter negligentiam procuratoris, qui non fuit prosecutus appellationem intra tempus debitum, quo in casu habet actionem contra impedientem appellans ad interesse; vel si impediens solvendo non sit, potest petere restitutionem in integrum appellans, sicuti petere potest in prioribus casibus, si non ipso jure restituatur.

Sextum denique provenit ex casu fortuito, ut si, v. g., viæ sint hostibus infestæ, missus procurator fuerit captus, etc. (neque enim quod per me non stat, mihi imputari debet), ita tamen, ut per testes, v. g., probare debeat impeditus impedimentum, et adhibitam a se diligentiam ad impedimentum removendum.

§ VII. DE OFFICIO UTRIUSQUE JUDICIS, A QUO ET AD QUEM APPELLATUR.

XVIII. *Quando et quomodo procedere possit, ac debeat judex* a quo *sive sit ordinarius, sive delegatus.* Regulariter quidem judex a quo debet deferre cuilibet appellationi, et gesta coram se intra 30 dies cum apos-

tolis ad judicem appellationis transmittere (propter reverentiam scilicet superioris puniendus vi utriusque juris, si interpositæ ex justa causa appellationi non detulerit), nisi de jure prohibita sit appellatio aut in rescripto remota : quod si tamen per fraudem aut malitiam interposita fuisset appellatio, non debet illi deferre, aut illam admittere judex a quo, sed potest in causa procedere.

Neque enim quod a jure concessum est ad innocentiam vel jus suum defendendum, malitiose in alium finem detorquendum est ; si vero super interlocutoria sententia, seu quæstione incidente appellatum fuerit, a cujus cognitione causæ principalis decisio dependet, non potest judex a quo super causa principali prius pronuntiare, quam questio interlocutoria in judicio appellationis decisa fuerit, ad cavendum scilicet præjudicium : speciale illud est de jure canonico, quod ille, qui residere tenetur in suo beneficio, et tamen huic suæ obligationi non satisfacit, si ab episcopo ad residentiam faciendam monitus ad pontificem appellet, possit per episcopum cogi ad residendum, vel ut intra certum tempus præfixum ab episcopo, ad curiam romanam appellationis prosequendæ causa accedat, ita ut episcopus præbenda eum privare possit, nisi alterutrum fecerit, si nullam justam causam habeat, cum de futili tantum appellatione, in tali casu sit præsumptio.

XIX. *Officium judicis* ad quem judex ad quem appellatum fuit, debet appellationem ad se delatam admittere, de ejus justitia cognoscere, et si viderit illam legitime interpositam, debet pronuntiare, appellationem esse justam, sive male judicatum, bene appellatum esse. Si vero viderit illam esse illegitime factam, debet illam pronuntiare injustam, sive bene judicatum, male appellatum esse.

Et quamvis per se, vel per alium non suspectum de causa, et justitia appellationis cognoscere possit, non potest tamen causam appellationis examinandam ad judicem a quo est appellatum, remittere (nisi pars quæ appellavit, consentiat, quia præsumptio est, et periculum, ne iterum gravet), etiam casu quo judex a quo fuit appellatum, in locum judicis ad quem fuit appellatum, modo autem defuncti, aut depositi successit (ob rationem etiam in hoc casu urgentem), sed debet in tali casu appellatio examinanda alteri personæ non suspectæ delegari, quæ vel remittet appellantem ad judicem a quo, si advertat male appellatum, et in expensas temerarium hunc appellantem condemnabit (nisi judex a quo appellationi detulerit), vel si bene appellatum advertat, priorem sententiam a judice a quo male latam cassabit, aut pro parte reformabit, et sic de causa principali pronuntiabit modo de meritis causæ per probationes competentes ei constet, etiamsi in hac secunda appellationis instantia lis coram judice appellationis contestata non fuerit, vel pars conventa in hac secunda instantia fuerit contumaciter absens. Cum litis contestatio in prima instantia facta, nec per appellationem tollatur, sed extendere etiam se possit ad causam appellationis.

XX. *Cui incumbat, seu imponi debeat a judice onus probandi in causa appellationis.* Ad initium processus appellatus coram judice ad quem probare debet tria: appellasse se scilicet, et quidem legitimo tempore a sententia, vel gravamine illato ; et secundo appellasse se ex causa rationabili, tali scilicet, quæ si probata fuerit, justa declaretur appellatio; et tertio denique debet appellans producere appellationem, et ipsam sententiam, v. g., a qua appellavit. Procurator autem, si per hunc appellationem prosequatur appellans,

debet insuper probare mandatum, et cavere de rato.

His probatis procedi, v. g., ulterius, et quælibet pars excipiens suam exceptionem probare debet, ac merita causæ principalis, qui eadem probare debuit in prima instantia directe judici a quo, sive ex prioribus actis probationes has depromendo, sive novas producendo.

Quod si vero pars litigans exceptionem suam opponens, ob quam respondere non teneretur, a judice audita non est, et propterea appellavit coram judice appellationis, probare non tantum debet, appellasse se ex causa probabili; sed debet insuper probare causam illam veram esse, vel saltem probare debebit, allegasse se coram judice, a quo causam, quare respondere non teneretur, et voluisse etiam in continenti hanc probare, auditum tamen non fuisse (quia in illo casu pugnat contra appellantem præsumptio, quod vexandi tantum adversarii causa noluerit respondere, et appellaverit, quæ in altero casu nihil probat), nisi extrajudicialiter tantum appellet, aut absit judex, aut offeratur eo tempore probatio, quo non tenetur eam recipere judex, cum in talibus casibus, vel non adsit judex, cui ex officio incumbat recipere probationes, vel non offeratur probatio tempore conveniente.

§ VIII. DE EFFECTU APPELLATIONIS.

XXI. Effectus appellationis duplex est, suspensivus, et devolutivus.

1° *De effectu appellationis suspensivo.* Per appellationem a sententia definitiva ordinarie suspenditur judicis, a quo jurisdictio, circa causam illam, in qua est appellatum, ita ut pendente appellatione eam executioni mandare non possit; non autem per appellationem ab interlocutoria, judicis a quo jurisdictio suspenditur,

quin possit in causa procedere, donec inhibeatur a judice, ad quem appellatum fuit, ut ex dictis patet.

Quamvis circa alias causas diversas a causa appellationis respondere teneatur, qui appellavit coram judice a quo, si coram eo conveniatur, recusari tamen potest hic in talibus causis, tanquam judex suspectus. Sicuti enim per appellationem non eximitur a jurisdictione sui ordinarii judicis, nisi in ea tantum causa, circa quam appellavit, ita in aliis causis ob periculum gravaminis recusare eum potest (saltem de jure canonico) contra quem appellavit, et sic merito minus benevolum timere potest. Allegare tamen, et probare hic recusans debet coram arbitris communi consensu electis, non tantum quod contra talem judicem in alia causa jam appellaverit, sed quod ab eo injuste fuerit gravatus.

Casus in quibus per appellationem non suspenditur jurisdictio judicis a quo. Primo potest judex a quo, non obstante appellatione, et hac adhuc pendente procedere in causa, citra vitium attentati, faciendo omnia illa quæ ad faciliorem finem, seu exitum causæ appellationis conducunt, modo se non immisceat causæ appellationis, de hac, v. g., cognoscendo, etc. Quia per appellationem jurisdictio judicis, a quo non est extincta, sed suspensa tantum, quoad causam, in qua est appellatum, ita ut de justitia illius cognoscere non possit : adeoque cum dicitur pendente appellatione nihil immutandum, aut innovandum, etc. Intelligi tantum debet prohiberi, ne quidquam immutetur, aut innovetur in præjudicium appellationis, non autem quod prohibeantur eæ quæ in favorem appellationis, et faciliorem ejus exitum a judice a quo fiunt.

Secundo potest judex ordinarius eum, qui appellavit, non obstante appellatione, et hac pendente, pu-

nire ob crimina, quæ fortasse post appellationem positam, aut ante eam commisit. Quia eos appellatio in sua iniquitate tueri non debet, quominus per canonicam censuram puniri debeant.

Tertio potest judex a quo, sive ordinarius, sive delegatus ille sit, a cujus interlocutoria, aut gravamine ante definitivam appellavit aliquis, si citet ad terminum certum appellantem ad audiendam revocationem gravaminis, si quidem eam faciendam existimet, quod fieri posse ex dictis jam patet, et ille qui appellavit in termino præfixo non compareat, judex tamen gravamen reipsa, et actu revocet, libere in causa, non obstante appellatione facta, procedere contra absentem etiam tanquam contra contumacem, quia cessante gravamine, propter quod appellatum, et per revocationem jam cessat, cessat etiam effectus, appellatio scilicet, et consequenter totam suam jurisdictionem habet judex a quo.

Quarto potest judex a quo eum quem ob contumaciam, v. g., suam excommunicavit, non obstante, quod ad papam, aut alium superiorem hic appellaverit, ab excommunicatione absolvere (si absolutionem hanc ab ipso petat, qui appellavit, et sufficientem cautionem adversæ parti præstet), quamvis adversarius contradicat, et appellet etiam. Tum quod per hanc absolutionem non impeditur cursus appellationis, tum quod sic animæ excommunicati consulatur, et simul per cautionem præstitam parti adversæ.

2° *De effectu appellationis devolutivo.* Quod per appellationem causa principalis, super qua appellatum est, devolvatur ad judicem ad quem, ita ut hic judex non tantum de justitia appellationis cognoscere possit, sed causam etiam principalem judicare, et decidere possit, ac debeat. Et consequenter appellatio etiam parit

effectum devolutivum, et in illis sæpe casibus, ubi suspensivus effectus locum non habet, ut ex dictis patet.

Immo non tantum causa principalis per appellationem devolvitur ad judicem ad quem, sed etiam ejus accessoria, sive quæ illam consequuntur, ob causæ scilicet connexionem.

SECTIO SECUNDA.

DE EXTERNO ECCLESIÆ CATHOLICÆ STATU.

Ad statum alicujus societatis apprime cognoscendum, non tantum juvat internam ipsius structuram et organisationem perpendere, sed etiam necesse est expendere externas relationes quas habet cum cæteris societatibus. Postquam igitur internum Ecclesiæ statum, prima hujus tractationis generalis sectione, per summa capita consideravimus, ad analysim revocando internam hujus societatis dispositionem tum quoad personas, tum quoad res, et satis, ut reor, investigavimus quid sit Ecclesia in se ipsa ; oportet nunc eam cum aliis societatibus quæ in mundo sunt, comparare, ut videamus quæ jura, quæ officia in eas habeat, seu in quanam morali relatione cum iis inveniatur.

Jam vero duæ aliæ species publicarum societatum in mundo sunt præter Ecclesiam catholicam, videlicet societates politicæ, et religiosæ. Inde hæc secunda tractatus generalis sectio dividitur in duas partes :

1° De relationibus inter Ecclesiam catholicam et civiles seu politicas respublicas ;

2° De relationibus inter Ecclesiam catholicam et alias societates seu communiones religiosas.

PARS PRIMA

DE RELATIONE INTER ECCLESIAM CATHOLICAM ET CIVILES SOCIETATES.

PROŒMIUM.

I. *De discrimine inter utramque societatem.* Suppositum, basis et fundamentum totius hujus tractationis est capitalis distinctio inter civilem et ecclesiasticam societatem, quam velut proœmium hujus tractationis proponemus : itaque toto genere differunt civilis et ecclesiastica societas tanquam duæ societates ab invicem independentes.

1° Differunt *origine;* nam civilis societas est a Deo prout auctore naturæ, ecclesiastica a Deo prout auctore gratiæ : unde una est naturalis, alia supernaturalis originis.

2° Differunt *institutione;* nam civilis societas non est immediate instituta a Deo, naturæ auctore; sed naturæ quidem ordinatione, et spontaneo quodem naturæ instinctu instituta fuit, mediantibus tamen hominum factis, quæ sicuti varia et multiplicia fuerunt, sic variis modis naturæ institutionem, vel concretarunt, variisque modis modificant, quæ causam dederunt multiplicibus civilibus societatibus, et continuis ipsarum modificationibus. Unde salvo naturæ jure, regna eriguntur, ampliantur, restringuntur, expirant. Modo unam, modo alteram hæc facta subeunt regiminis formam. Nec unum regnum est quod jactare possit permanentem et stabilem sui positionem de jure naturæ. Natura enim instituens in abstracto politicas

societates non determinavit nec illorum munera, nec formam.

Contra vero instituit Deus Ecclesiam ut talem societatem in concreto, unam numero, determinatam ut sic, determinata forma regiminis, determinato subjecto jurisdictionis, determinata perpetua et immutabili illius duratione. Sicut humana facta nihil habuerunt ut eam determinarent, sed naturam habuit in concreto ab ipso Deo institutore omnino determinatam et invariabilem, ita independenter a quovis facto humano eadem subsistit. Et vel eadem una illa est in concreto sic determinata et instituta, et tunc Ecclesia Christi est, aut sic non est, et tunc non est Ecclesia, sed alia omnino societas quæ Ecclesiæ nomine se jactat.

Non secus jure naturæ immediate instituta est societas conjugalis et domestica, quæ fuit prima societas specialis in qua situs est homo immediate ab ipsa natura, et semen extitit generalis omnium societatum. Natura non determinavit solum in genere, et in abstracto, sed definitus fuit illius propagationis modus, illius aggregationis membra, regiminis forma, regiminis subjectum et omnes relationes, ut si hæc omnia sic instituta non adsint, non est amplius familia, seu illa societas sic a natura ordinata et instituta.

3° Distinguuntur *fine;* nam finis propter quem homines coaluerunt in politicas societates est temporalis felicitas : multiplicatis enim hominum familiis, hæ amplius pares non erant huic fini, sed debuerunt familiæ familiis jungi ad finem communem ut junctis viribus ab incursionibus, catervisque malis possent se liberare. Inde variæ fuerunt aggregationes variis in locis.

Sed Ecclesia quæ prosequitur finem ultimum, seu finem qui dux est omnium cæterorum, estque finis

ipsius hominis, qua homo est, proinde non habet territoria quibus restringatur estque eminentior politicis aggregationibus : spectat enim finem a natura absolute intentum, non relative; prius debet ordinari homo qua homo est, deinde homo qua civis est.

II. *De relationibus inter utramque.* Sed habent ambæ societates unum commune, hominem qui tanquam christianus est membrum Ecclesiæ, tanquam civis est membrum civilis societatis; unde oportet (cum omnia quæ a Deo sunt, ordinata sint) ut duplex auctoritas, quæ hunc hominem eumdem ad diversa dirigit :

1° Limites in ordine ad finem servet, prius servatis quæ hominis ut christiani sunt;

2° Invicem se protegant et adjuvent.

Licet Ecclesia et status sint duæ societates ab invicem distinctæ et independentes, ut reor me demonstrasse in proœmio hujus tractationis, non ideo tamen nullas habent reciprocas obligationes inter se. Nam autonomia qua gaudent ex indole suæ institutionis, reddit quidem eas personas perfectas suique juris in ordine morali, sed a morali ordine non eximit. Jam vero moralis unio duo requirit : 1° ne alteri noceatur; 2° ut alterius utilitati serviatur, seu quod idem est : 1° ut sua cuique jura sarta tectaque sint; 2° ut alium quantum possumus juvemus; his duobus officiorum capitibus stat ordo moralis.

Sint ergo hæc ut principia quibus jura et officia quæ Ecclesia et status ad invicem habent, dimetiantur ut neutra societatis alterius jura violet, ut una alteram quantum potest adjuvet, et ita unaquæque societas cooperetur fini auctoris sui.

Verum societates non operantur per se sicuti individua, sed per organa suæ auctoritatis a qua gubernantur; ergo tota disquisitio de relatione inter Eccle-

siam et statum resolvitur in eo ut ea jurium officiorumque capita in ordine ad ecclesiasticam et politicam auctoritatem expendemus; una alterius jura non violet, una alteram adjuvet. Ergo agemus :

1° De competentia ecclesiasticæ et politicæ auctoritatis, seu de limitibus jure divino utrique appositis, ne una alterius jura violet;

2° De mutuo adjutorio, seu advocatione et protectione qua ad invicem adstringuntur utraque potestas, ut se mutuo foveant in ordine ad finis sui assecutionem.

TITULUS I.

DE COMPETENTIA UTRIUSQUE POTESTATIS.

Competentia utriusque auctoritatis determinari potest vel in abstracto, vel in concreto : prima inquisitio est tota de jure divino, et investigat quid utraque potestas agere possit de jure proprio, independenter omnino ab alia; altera investigatio non procedit a solo jure divino, independenter a voluntate et placitis utriusque potestatis, sed firmis manentibus limitibus in abstracto deductis a jure divino, quærit in facto quid agere liceat utrique potestati, sin minus jure proprio, saltem jure delegato et mandato alterius auctoritatis.

CAPUT PRIMUM.

DE COMPETENTIA UTRIUSQUE AUCTORITATIS CONSIDERATÆ IN ABSTRACTO AD TRAMITEM UNIUS JURIS DIVINI.

ARTICULUS PRIMUS.

DE LIMITE IN QUEM DESINIT ACTIO ALTERUTRIUS POTESTATIS.

I. THEOREMA PRIMUM. *Quidquid est quod directe spectet ultimi finis assecutionem, est competentiæ ecclesiasticæ : quidquid e contra directe spectat temporalis felicitatis assecutionem, est competentiæ auctoritatis politicæ.*

Ratio præsentis theorematis est deducta ex natura utriusque auctoritatis, seu, quod idem est, a fine in quem suapte natura ordinata est. Ordo enim hic in finem non potest consistere, nisi media in finem perducant, seu cum ipso connectantur.

Corollaria.

1. Ad finis hujus assecutionem Ecclesiæ data est duplex potestas, ordinis videlicet et jurisdictionis : ergo jus habet Ecclesia ad liberum et independens utriusque potestatis exercitium.

2. Potestatis ordinis objectum sunt sacramenta; potestatis autem jurisdictionis objectum sunt dogma vel disciplina, seu, quod idem est, veritatis magisterium et morum directio in ordine ad fidem. Quidquid ergo est quod pertinet ad sacramentorum administrationem, ad fidei doctrinam et ad morum disciplinam in ordine ad fidem, est totum competentiæ ecclesiasticæ.

3. Sed jus dogmaticum suapte natura generale est, cui omnes homines subduntur; contra vero jus Ecclesiæ disciplinare ad solas christianorum personas et Ecclesiæ res pertingit. Ergo in exercitio sui magisterii

nullam potest habere Ecclesia limitationem ; contra in exercitio sui imperii ad personas vel res Ecclesiæ restringitur, in quantum cum ultimi finis assecutione relationem habent.

4. Sed quatuor modis exercetur imperium : vel leges ferendo, vel judicando, vel puniendo, vel ea omnia disponendo et administrando quæ publico ordini inserviunt ; ergo ad hæc quatuor capita ecclesiastica jurisdictio exercetur in provincia sua, seu in iis omnibus quæ tum quoad personas, tum quoad res pro ultimi finis assecutione ecclesiastica disciplina sunt constituta.

QUÆSTIONES.

I. *De regio placet.*

II. Occasione schismatis occidentalis quod ab Urbano VI ad concilium Constantiense perduravit, ne vi hujus schismatis fraudes admitterentur, concessit Urbanus, ut legimus in constitutione secunda Martini V, quibusdam prælatis quod in eorum civitatibus et diœcesibus non posset sini executio litterarum apostolicarum, nisi prius litteræ hujusmodi prælatis ipsis vel eorum officialibus ad hoc deputatis exhiberentur, et ab ipsis approbatæ fuerint. Principes quoque, ne populi a pseudo-pontificibus deciperentur, in bullas et constitutiones inquirere cœperunt.

Hæc, uti videtis, fuit disciplina quædam singularis, pro temporum singularitate inductæ, quæ iis demptis circumstantiis continuari non debebat. At vero nón sic ; sed cessato etiam schismate, apud multas nationes retentum, apud alias receptum est jus quo non liceant promulgari ecclesiasticæ auctoritatis dispositiones vel effectum suum sortiri, sive illæ sint ab episcopis, vel a romano pontifice latæ, sive sint particulares con-

stitutiones seu rescripta, vel dispositiones generales, sive sint disciplinares vel etiam dogmaticæ, nisi principes permiserint. Hæc permissio *Placitum, Placitum regium*, *Exequatur*, *Regium pareatur* dicitur.

Neque hujusmodi jus sub eo colore inductum fuit quod politicæ societati liceret videre an dispositio a legitima auctoritate prodierit, sed ut de rei ipsius opportunitate dijudicaret, et ita definiret an publicari debeat necne; nec ejusmodi jus ipsis tribuebatur tanquam ex positivo auctoritatis ecclesiasticæ placito, sed tanquam ex natura majestatis, cujus est inspicere et cavere ne respublica detrimentum capiat. Cum hujusmodi doctrinæ Jansenisticæ prevaluissent, Ecclesia pacis amore maluit potius, pactis conventis cum sæculi principibus, hoc jus moderari quam illi cum pejori principum et populorum pernicie obstare; potius voluit benigne principibus ea concedere, quam sinere ut proprio marte ea sibi usurpantes fierent schismatici.

III. Nunc non in concreto, sed in abstracto rem contemplantes quæremus utrum ex natura majestatis competit tale jus principi?

Jus habet Ecclesia ad liberum et independens exercitium sui magisterii et regiminis; atqui hoc Placitum regium est contrarium huic independentiæ, et libertati. Ergo:

Unica difficultas quæ aliqua specie veritatis fieri posset, hæc est quod liceat principi inspicere et cavere ne vel suæ majestatis jura lædantur vel respublica detrimentum capiat; atqui utrumque posset provenire ex libera promulgatione legum ecclesiasticarum. Ergo: primum, siquidem ecclesiastica dispositio decernere posset de re quæ non sit suæ competentiæ; secundum, siquidem licet disponat de re suæ compe-

tentiæ, indirecte posset parere aliquam in republica perturbationem. Qua ratione ducti, moderati etiam auctores videntur concedere principi jus non impediendi, sed suspendendi executionem quousque dubitatio orta a legitima potestate non tollatur, vel componatur.

1° Sed argumentum nimis probat; eadem enim pari et fortiori jure de dispositione sæculari dici posset, et æquum sane esset potius subordinare finem temporalem spirituali quam vice versa (et experientia docuit usque principes sese immiscere in his negotiis). Ergo vera ratio non ea esse videtur, sed potius ratio ut illius sit religio cujus est regio.

2° Jus cavendi non ultra progredi debet quam sana ratio dictitat; sana autem ratio dictat ut in eo caveamus ubi aliquod timendi periculum sit vel fundamentum. Atqui nullum periculum timendum ex ecclesiasticis constitutionibus: vel dogmaticæ sunt, et nil magis prodesse potest reipublicæ, cum religio sit maximum status propugnaculum; vel disciplinares, et nil aliud intendunt nisi ut mores fidelium juxta fidem componantur, abusus reformentur. Ergo :

3° Non potest sustineri hæc theoria nisi pro principio admittatur dependentia auctoritatis Ecclesiæ, et inde minuatur illius influxus in animum populorum cum maximo Ecclesiæ et reipublicæ detrimento, prouti experientia demonstrat.

II. *De regia nominatione.*

IV. Inter speciales quæstiones quæ solent agitari de limitibus utriusque potestatis, illa est celeberrima qua quæritur an, quale, quantum jus principibus competat circa canonicam institutionem, ordinationem ministrorum et magistratuum ecclesiasticorum.

In hoc, prouti in cæteris hujusmodi quæstionibus, debet distingui quæstio de jure in concreto et in abstracto. Quæstio in concreto solvitur ex iis quæ placuit Ecclesiæ principibus hac in re concedere. Quæstio de jure in abstracto ex natura utriusque potestatis definienda est, ex limitibus qui in abstracto utrique potestati assignantur, et propria est prætentio tractationis.

Hic distingue quæ salva fide non possunt sustineri ab iis quæ salva fide agitantur.

1° Salva fide non potest sustineri quod politicæ auctoritatis jus sit conferendi canonicam institutionem in officia ecclesiastica, ita ut canonica missio ad aliquod ministerium ecclesiasticum sit munus politici magistratus. concil. Trid., sess. 23, De sacramento ordinis, c. 4 : Docet SS. synodus in ordinatione episcoporum, sacerdotum et cæterorum Ordinum nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis et magistratus consensum sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri ut sine ea irrita sit ordinatio, quia potius decernit eos qui tantummodo a populo aut sæculari potestate, aut magistratu vocati et instituti, ad hæc ministeria ascendunt, et qui ea propria auctoritate sibi sumunt, eos non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones per ostium non ingressos habendos esse. Ita Henricus VIII.

2° Sed salva canonica institutione et ordinatione quæ Ecclesiæ est, quæri posset an aliquod jus ex natura majestatis competat principi hac in re : videlicet an ipsius sit designare personas vel alias excludere quæ debeant ab ecclesiastica auctoritate institui, vel non. Quæstio præsertim agitur de regia nominatione episcoporum. An videlicet principi de natura majestatis jus sit proponendi ecclesiasticæ potestati personas ad episcopatum promovendas in proprio statu ?

Quæstio non diversa innititur principio ab illo quo præcedens de placito regio.

Supposita independentia utriusqne auctoritatis in ordine suo, neutri fas est in negotia alterius proprio quodam jure se ingerere. Atqui episcoporum electio negotium ecclesiasticum est, siquidem ad Ecclesiam regendam ordinatur, ad ultimum finem spiritualis felicitatis directe ordinatur; ergo dari non potest majestati, quasi jure suo, sese immiscendi in electionibus episcoporum aut nominando, aut excludendo, vel alio quocumque modo limitando, liberam et independentem facultatem.

Difficultas ex eo est quod jure inspiciendi ne majestas aut respublica detrimentum capiat, jus habet princeps, ne plebs etiam in spiritualibus regenda tradatur illi qui sibi sit suspectus vel de sua confidentia non gaudeat. Verum simile jus posset habere Ecclesia quoad magistratus politicos, imo fortius jus; ergo argumentum nimis probat. Alia media in promptu esse possint quin jure suo sibi vindicet aliquid in negotio religionis.

III. *Appellatio ab abusu.*

V. Appellatio est a curia episcopali ad principem laicum ad abusum ecclesiasticæ auctoritatis coercendum.

Dupliciter potest contingere abusus :

1° Quia injustam dicit sententiam;

2° Quia non servat ordinem judicii.

In primo casu *appellatio simplex* dicitur ; in alio *appellatio tanquam ab abusu.*

Communis est omnium sententia, primam non esse admittendam, nec esse competentiæ civilis judicare de re spirituali Ecclesiæ, ac de lege Ecclesiæ.

Sed alterius generis appellatio cum sit de re facti an testes sint auditi, an sufficiens fuerit defensioni locus, admitti solet a nonnullis jure majestatis. Ratio quia principis est a vi et oppressione subditos defendere. Sed potest liberari ab oppressione mediis legitimis appellando ad superius tribunal ecclesiasticum.

Sed si superius aut nolit aut non possit reprimere, id accessoriæ defensionis jure aliquando licebit.

ARTICULUS II.

DE LIMITE A QUO INCIPIT ACTIO ALTERUTRIUS POTESTATIS.

I. PRINCIPIA EX QUIBUS DESUMITUR LIMES.

VI. Ut competentia utriusque auctoritatis definiatur non sufficit limitem determinare *in quem* desinat actio auctoritatis, sed etiam limitem *a quo* incipiat. Ex primo theoremate quod posuimus, definitus est limes *in quem* desinit actio alterutrius potestatis, hoc modo : quidquid est directo connexum cum æterna hominum beatitudine est competentiæ auctoritatis ecclesiasticæ; quidquid contra est directo connexum cum temporali reipublicæ felicitate est objectum civilis auctoritatis : seu, quod idem est, ex fine in quem directo debet tendere actio utriusque auctoritatis deprehendimus terminum in quem utriusque actio desinat.

Sed unde incipit utraque auctoritas in hunc finem agere ? Seu, quod idem est, poteritne independenter a quolibet alio jure hominem dirigere in finem ad quem instituta est, vel habetne aliquod jus sibi natura et ordine præstantius quod nefas ei sit violare ita ut in eo agnoscat quemdam limitem a quo agere incipiat jure suo in finem ad quem instituta est ?

Jam vero quod jus naturale divinum prouti quod in intrinseca rerum natura consistit et omnium jurium,

omnis auctoritatis fundamentum est, constituat limitem cuicumque humanæ auctoritati, unde sibi liceat exordiri, controversiam, ut reor, cum sanæ mentis viris non patitur. Si enim ipse Deus juris naturalis auctor, cum sit perfectissimus nec contra legem æternæ suæ sapientiæ agere valeat, jus ipsum non potest invertere, quanto minus id poterunt homines qui juri naturali subduntur. Ergo neutra auctoritas poterit ordinare hominem in finem respective suum, posthabito jure naturali, seu, quod idem est, salvo jure naturæ poterunt in finem respective suum, hominem ordinare: juris naturalis observantia constituit limitem unde solum sibi liceat agere, seu inde agere incipient jure proprio quo desinit jus naturale.

Porro naturale jus præcipit obsequium divinæ revelationi, seu juri divino positivo et supernaturali, posito quod Deo placuerit illud revelare; ergo eadem necessitate qua nefas est cuilibet humanæ auctoritati jus naturale invadere, nefas etiam est invadere jus divinum supernaturale in hypothesi: ergo ubi desinunt præscriptiones juris divini vel naturalis, vel positivi, ibi tantum quælibet humana auctoritas poterit incipere operari.

Sed jure positivo divino instituta est ecclesiastica auctoritas tanquam divini juris interpres infallibilis et indefectibilis sapientissima moderatrix. Ergo ita exinde ipso jure naturali in hoc divinæ Providentiæ ordine, tunc incipiet jure suo actio civilis auctoritatis cum desierit actio potestatis ecclesiasticæ, seu, quod idem est, salvo ordine hominis ad Deum, ad jus divinum vel naturale, vel positivum, quem debet ecclesiastica auctoritas moderari, jus est potestati civili hominem in bonum reipublicæ ordinare. Si contra facere attentaverit, præfert bonum reipublicæ mandatis Dei, vio-

labit non tam jura Ecclesiæ quam jura Dei, jura hominis.....

VII. Hæc prælatio juris ecclesiastici juri civili doceri potest etiam ex eo quod licet utraque potestas in ordine suo sit independens, tamen finis et ordo unius suapte natura fini et ordini alterius subordinatus est. Namque finis ecclesiasticæ potestatis est finis æternæ beatitudinis, finis politicæ auctoritatis est temporanea felicitas; hæc tempore et duratione circumscripta, alia non sic. Finis ecclesiasticæ auctoritatis est finis ultimus hominum, proprius omnium hominum qui eousque extenditur quousque extenditur humanum genus; finis autem politicæ auctoritatis est finis territorio quodam circumscriptus, qualis est finis cujusdam peculiaris aggregationis hominum quæ dicitur respublica et status civilis. Finis ecclesiasticæ auctoritatis est finis absolute a Deo intentus, finis qui vere et omni sensu est finis : est enim ultimus ; sed finis politicæ auctoritatis est finis hypothetice tantum intentus, in quantum cum fine ultimo hominis conciliari potest, qui in comparatione ad finem ultimum habet potius rationem medii quam finis.

Jam vero unusquisque videt quomodo finis temporalis felicitatis, finis secundarius, particularis hypothetice intentus debet fini ultimo, æternæ felicitati, absolute et principaliter in homine a Deo intento subordinari.

Ut ergo stet ordo in ultima analysi a Deo intentus, tunc incipiet princeps ordinare hominem in finem communis felicitatis reipublicæ, quando satis ordinatus est per Ecclesiam in finem ultimum, seu salvo jure ecclesiastico incipiet jus civile : non est jus civile norma secundum quam debet coordinari jus canonicum, sed vice versa : ibi incipiet jure suo princeps

ordinare hominem ad felicitatem temporalem ubi desierit Ecclesia illum ordinare ad finem æternæ felicitatis.

VIII. Unde Patres Ecclesiæ comparaverunt duas potestates quarum una ad bona spiritualia et æterna, altera ad bona temporalia et corporea directe ordinantur, ad rationem et sensum in homine naturali, in quo ut ordo consistat non satis est ut ratio rationalia, sensus sensibilia appetat, sed necesse est ut sensus rationem non præveniat, nec illi contradicat, sed agat secundum rationem, seu a ratione habeat limitem a quo jure suo in objecta sui ordinis feratur. Si ista non serventur, non ordo sed inordinatio est. Ergo ponemus hoc principium :

Ibi jure proprio incipiat politica Majestas ordinare hominem in finem temporalis felicitatis, quo desierit Ecclesia illum ad suum ultimum finem coordinare. Seu, quod idem est, est ordine et natura prior legislatio ecclesiastica, posterior vero, legislatio civilis, seu civilis auctoritas potest habere limitem a quo possit incipere a potestate ecclesiastica, non e contra. Ecclesiastica ergo auctoritas immediate incipiet a jure naturali et divino cum quo habet eumdem finem, et cujus est interpres et applicatrix nata in ordine ad finem ultimum ; civilis auctoritas immediate incipiet post jus ecclesiasticum.

Servato hoc limite a quo jure potest incipere princeps, et, servato limite in quem desierit illius actio, erit independens ; seu hi limites præsenti œconomia providentiæ Dei determinant ordinem civilem in quo civilis auctoritas est independens. Independentia enim non est licentia quæcumque per fas et nefas agendi, sed est immunitas a superiori potestate ejusdem generis et ejusdem ordinis. Sicuti conciliatur in homine

libertas cum lege, ita conciliatur in republica independentia cum subjectione auctoritati ordinis superioris.

Corollaria.

Cum terminus actionis Ecclesiæ designet initium actionis civilis auctoritatis, oportet definire terminum actionis Ecclesiæ ut pateat qualis sit limes a quo incipiat jure suo imperare princeps. Porro jus ecclesiasticum aut dogmaticum est aut disciplinare : jus dogmaticum se ad universos homines extendit; jus autem disciplinare ad solos christianos : ergo salvo jure dogmatico quoad omnes, salvo jure etiam disciplinari quoad fideles, libere poterit et independenter princeps dirigere homines in finem communis utilitatis temporalis reipublicæ.

II. DE IMMUNITATE.

IX. *De variis speciebus immunitatis.* Alterum objectum controversiæ inter civilem et ecclesiasticam auctoritatem est immunitas, quæ triplex distinguitur, scilicet : personalis, realis, localis.

Immunitas *personalis* dici potest exemptio quæ competit personis ecclesiasticis a civili jurisdictione. Hæc autem exemptio consideratur in ordine ad tria capita, videlicet :

1° Quoad *forum* quæ in eo posita est, ut clerici non possint, sicut cæteri cives, in causis vel civilibus, vel criminalibus apud magistratum vel judicem civilem conveniri;

2° Quoad publica et *civilia officia* quæ componi nequeunt cum dignitate et officiis status clericalis ; quæ exemptio in eo posita est ut clerici sint exempti a publicis muneribus, non tantum sordidis, uti cloacæ expurgatio, panis excoctio, viarum et pontium sollicitudo,

sed etiam honorificis, uti tutela, cura, exactio annonarum, pagorum et urbium gubernatio, pecuniarum vel horreorum publicorum administratio;

3° Quoad *onera publica:* sunt enim exempti a tributis vel vectigalibus sive realibus, sive personalibus quæ debent cæteri cives.

Immunitas *localis* dicitur exemptio rerum et ædium sacrarum a civilibus usibus et civili jurisdictione, ut sacris et ecclesiasticis usibus unice et liberrime deserviant. Hoc exprimebatur illa cæremonia qua reges ecclesiam ingressuri diadema deponebant, et extra illam custodiam relinquebant, ita obtestantes quod majestas et quidquid aliud sapit civilium negotiorum curam usque ad ostium templi pertingeret, post limen ecclesiæ omnis jurisdictio civilis cessaret tanquam si suum territorium esset prætergressa : uno verbo civilis auctoritas cum omnibus negotiis quæ ad finem temporalem reipublicæ directo ordinantur, extra januam ecclesiæ deponebatur, cum intra ambitum ecclesiarum una esset auctoritas, videlicet ecclesiastica, quæ moderaretur ea omnia quæ ad finem æternæ felicitatis directo ordinantur.

1° Vetitur in ecclesia venditio, negotiatio et omnes alii contractus.

2° Judicia laicalia, sive civilia sive criminalia.

3° Civilia comitia, civiles conventus, civiles conciones, theatri, ludi.

4° Captura reorum, quo fieret ut debitis et ære alieno obruti, aut rei criminum ad ecclesiam confugientes quasi Dei opem et misericordiam facti pœnitentes implorantes, in specialem Ecclesiæ tutelam reciperentur. Hoc caput immunitatis est illud quod dicitur *asyli jus*, quod præstat non tantum ambitus ecclesiarum cum suis adjacentibus, sed etiam comita-

tus personarum quæ Eucharistiam deferunt, si quis reus illis adjungatur.

5° Demum prohibitum est uti ad usus profanos vasis, utensilibus sacris et omnibus aliis rebus quæ sacris et divinis usibus destinantur, consecrantur, benedicuntur, donec non execrantur, seu donec sunt sacræ et quodammodo nullius, seu soli Deo devotæ. Similiter et hoc privilegium pertinet ad ecclesias, donec non sint desertæ ob ruinam vel execratæ.

Immunitas autem *realis* est exemptio competens bonis ecclesiasticis a tributis et vectigalibus civilibus, adeo ut sine venia auctoritatis ecclesiasticæ talibus oneribus subjici non possint.

Quousque conservata est concordia inter ecclesiasticam et civilem auctoritatem, nunquam principes civiles de talibus Ecclesiæ juribus et exemptionibus ac privilegiis querelam posuerunt; immo totam curam impenderunt ut civili sanctione talia privilegia tuerentur et amplificarent.

Nec inde aliquam status civiles jacturam vel detrimentum passi sunt; immo maximam utilitatem in publicis regnorum calamitatibus experti sunt, quantam non suscepissent ex taxis contributionibus a cæteris solvi consuetis. Namque sacris canonibus sancitum est societati civili quam vera necessitas premit, opem auxiliumque de bonis Ecclesiæ ferendum esse, prouti ab Ecclesia semper factum fuisse, et ingentes semper largitiones fecisse multis exemplis demonstrat Thomassinus (vet. et nov. Ecclesiæ disciplina, p. 3, l. 1, c. 2,699). Aurum enim (sic Ambrosius, De offic. ministror., c. 28) Ecclesia habet non ut servet, sed ut eroget et subveniat in necessitatibus. Hoc autem faciendo, ut advertit Roncaglia in notis ad Nat. Alex. sæculo XIII et XIV, non solum gratitudinem demons-

trabat, sed et rei suæ consulebat tum pro communi damno propulsando, tum pro devinciendo amore reipublicæ et principum erga se ipsam.

Nec difficultatem faciunt duo canones, videlicet 19us conc. Lat. III, et 46us Later. IV, quorum primus vult ut judicantibus episcopis et clero quod necesse esset ex proventibus Ecclesiæ tribueretur, alter vero et papæ consensum expectandum sancivit. Hæ enim restrictiones sunt ad abusus compescendos, cum sub denariorum nomine gravissimæ invalescerant exactiones. Nec pigere debet imperium talem consensum exposcere, qui certe si rationabiles aderant causæ, non deerit. Cæterum naturalis æquitas suadet ne quis res alienas inconsulto vel dissentiente domino invadat: et Ecclesia voluit semper salvum et tutum principium suæ libertatis et independentiæ.

Sed rupta concordia inter statum et Ecclesiam tunc primo questi sunt principes quasi hæc tanta privilegia Ecclesiæ invaderent jura status civilis, quasi sic eximerentur a jurisdictione principum personæ et res quæ illi naturaliter subduntur, quæque proinde statui civili revocari possunt et debent. Et sane nonne clerici sunt cives? Et si cives quomodo possunt esse a civili jurisdictione immunes? Prouti ad conservandam Ecclesiæ independentiam clerici, qua clerici debent esse a civili potestate immunes, unice ecclesiasticæ auctoritati obnoxii, sic ex ea parte qua sunt cives debent esse ab ecclesiastica auctoritate immunes et civili auctoritati obnoxii: si hujusmodi limites non servantur corruit autonomia utriusque potestatis, et princeps disponeret de re spirituali sicuti auctoritas ecclesiastica disponeret de re temporali. Pari modo res quæ sunt in territorio reipublicæ non possunt liberari ab alto et eminenti dominio ipsius reipublicæ, quæ de re

disponat sicuti bonum commune postulare videtur. Et si dominia privata non sunt exempta a dominio eminenti reipublicæ, quanto magis bona Ecclesiæ, quæ sunt communitatis, universitatis, non singulorum. Ita assentatores Aulici.

X. *De jure unde immunitas Ecclesiæ nata est.* Magna adest inter auctores controversia circa jus unde immunitas Ecclesiæ nata sit. Etiamsi enim præscindamus a præjudicatæ opinionis auctoribus qui cum omnia Ecclesiæ jura velint trahere ad imperium civile, contendunt non aliam causam habere potuisse ecclesiasticam immunitatem nisi vel usurpationem Ecclesiæ, vel civilis auctoritatis indulgentiam, cordati etiam auctores dissentiunt an immediate a jure divino, an a jure ecclesiastico, an ab utroque orta sit. Moderatam et veram hac in re tenebit sententiam qui cum conc. Trid. (sess. 25, c. 20) Ecclesiæ, et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus dixerit esse constitutam. Nam præter omnimodam libertatem, et immunitatem in rebus spiritualibus, quæ ex ipsa autonomia et independentia auctoritatis ecclesiasticæ in iis quæ pertinent ad ultimum finem, ex natura propriæ institutionis Ecclesiæ competit, aliquam etiam immunitatem in rebus civilibus et temporalibus, saltem ex quadam convenientia, jure divino, vel divina ordinatione fuisse insinuatam, per sacros deinde Ecclesiæ canones in ordine ad temporum locorumque circumstantias determinandam, nemo certe qui sapiat, denegabit.

Ipsa enim natura religionis postulare videtur ut loca vel res quæ divino cultui destinata sunt a profanis et civilibus usibus sint exempta. Religionis autem ministros et bona quæ alimoniæ ministrorum, divini cultus functionibus exercendis, vel aliis piis et reli-

giosis usibus deserviunt, non æquo jure cum cæteris civibus vel bonis reipublicæ civilis vel privatorum esse æstimanda; sed nonnullis gaudere privilegiis in republica civili ut illi sint exempti ab iis muneribus publicis quæ cum functionibus proprii status valde non possint consociari, vel iis obligationibus quæ decori status non respondent : hæc vero liberentur ab iis oneribus quæ deteriorem ipsorum redderent conditionem, et in favorem suæ distinctionis a dispositione civilis auctoritatis sint immunia.

Nec inde aliqua rationabilis quærela, siquidem æquum est ut qui sentiunt religionis commodum, sentiant et incommodum ; et ratio et experientia demonstrat religionis auctum in publicam reipublicæ utilitatem redundare.

XI. Sed non puto longius in hac quæstione immorandum ; patet securior et facilior via determinandi ecclesiasticæ potestatis competentiam hac in re. Quidquid enim sit de jure unde immediate orta sit isthæc immunitas, saltem Ecclesiæ de natura suæ institutionis dandum est jus eximendi personas ecclesiasticas, res sacras, vel bona temporalia, in quantum viderit esse necessarium vel opportunum ad finem suæ institutionis consequendum. Obligatio enim ad finem dat jus ad ea media quæ ad finem consequendum sunt necessaria vel opportuna.

Alteri potestati in hoc judicii genere non subditur quia est autonoma et independens in ordine suo. Ubi autem desinit imperium Ecclesiæ, ibi incipit imperium principis : ubi desinit jus ecclesiasticum, ibi incipit jus civile ; ubi desinit cura ultimi finis, ibi incipit cura temporalis felicitatis status. Ergo quantum procedit exemptio, tantum coarctatur limes a quo majestas civilis incipiat ; nec hunc limitem prætergredi potest

nisi exorbitando a juribus sibi competentibus, impediendo terminum actionis Ecclesiæ.

Consimilis consecutio argumenti non tenet pro principis auctoritate ad bonum temporale, quia licet utraque potestas independens in ordine suo, ordo tamen unius alteri prævalet : unde terminus actionis Ecclesiæ est initium juridicum actionis status; non vice versa.

Porro independentia principis in ordine suo non læditur quando legi altioris ordinis subjacet, sed quando subjacet superiori legislationi ejusdem ordinis. Sed ipsa qualitas ordinis definit limites intra quos independenter se gerunt.

1° Nec dicas sic dari potestati ecclesiasticæ dispositio temporalium, quæ est propria principis. Princeps enim jus habet disponendi de temporalibus sui status in ordine ad finem boni publici, quatenus superiori jure non prohibeatur. Ita habet limitem a quo incipiat et in quem desinat. Ecclesia non disponit de temporalibus, et civilibus in ordine ad finem boni temporalis, sed sic limitem figit.

2° Nec dicas conturbari ordinem et vinculum ipsius societatis civilis eximendo cives et bona. Clerici enim manent cives civili legi subjecti; bona manent in republica licet privilegiata. Sicut non repugnant in societate civili privilegia favore bonorum vel personarum inducta, sic nec hujusmodi exemptiones. Ita privilegia personarum, militum, optimatum.

XII. Esset hic locus discutiendæ alterius quæstionis de *potestate indirecta*, quam mediis præsertim sæculis Romani Pontifices exercuerunt super imperia, solvendo populos a debito obedientiæ erga principes, deponendo principes ab imperio, erigendo nova regna.

Angustiæ temporis non sinunt diu in hac quæstione

immorari. Duo tantum ponantur principia, quæ maximam lucem suffundere possunt hac in re.

1° Præstantia ordinis supernaturalis cui præest Ecclesia, præ ordine civili cui præest princeps, exigit ut hic illi subordinetur, non vice versa. Inde in collisione inter jus ecclesiasticum et civile prævalet jus ecclesiasticum, prouti sollicitudo ultimi finis prævalet sollicitudini finis secundarii.

2° Præter potestatem independentem superioris ordinis, repræsentabant Romani Pontifices mediis sæculis centrum quodammodo confœderationis internationalis Europæ. Cum enim ex constitutione novi imperii occidentalis Caroli Magni quæ curantibus Romanis Pontificibus facta est anno 800, confœderatio europea esset eminenter catholica, ratio enim quare plures principes, plures status coaluerunt in ampliorem societatem internationalem, erat fides communis, obsequium erga eamdem Ecclesiam; imperium et regna cum essent constitutionaliter catholica, et christianæ religioni jurabant tutelam, obsequium, et sub hac conditione recipiebant imperium et regnum, non potuerunt non sentire maximum influxum patris communis, et auctoritatis supremæ Romanorum Pontificum, tanquam capitis supremi magnæ associationis christianæ, quod jura et officia populorum et principum doceret, judicaret, moderaretur.

CAPUT II.

DE COMPETENTIA UTRIUSQUE AUCTORITATIS IN CONCRETO.

I. Competentia ecclesiasticæ et civilis auctoritatis non tantum considerari potest in abstracto, videlicet qualis derivari potest ex natura utriusque auctoritatis, sed etiam in concreto qualis videlicet deprehenditur in

facto. Plura enim facta contigerunt propter quæ vel aliqua politica auctoritas accessit potestati ecclesiasticæ, vel e contra aliqua provincia in re ecclesiastica concessa est politicæ auctoritati : ita ex facto quædam competentia accessit utrique auctoritati, quam de natura sua non habebat.

Sed diverso modo potuit accedere politica auctoritas hierarchiæ ecclesiasticæ, alio modo vero aliqua potestas in re ecclesiastica potuit accedere civili majestati. Potestati ecclesiasticæ potuit accedere civilis principatus non tantum jure quodam mandati, ita ut in aliqua parte repræsentaret principis auctoritatem, vel aliqua negotia civilia gereret, exerceret de mandato principis, sed etiam jure quodam proprio et originario ab ipso Deo derivatus, non secus ac illum habent cæteri principes in republica. Exemplum habemus hac in re in feudis quæ perpetuo adnexa sunt episcopatui et abbatiæ germanicæ, in dominio temporali Ecclesiæ romanæ.

Ratio est quia cum nulla societas civilis in concreto determinata sit a natura in quodam determinato territorio, sub quadam determinata regiminis forma, non est illi essentiale quoddam determinatum subjectum auctoritatis, ut alterum ab illo diversum non possit legitimo modo jura majestatis sibi præscribere, sed debet concipi legitima actio hujus novi subjecti auctoritatis, tanquam si de mandato primitivi illius subjecti ageret cujus jura essent imprescriptibilia, inalienabilia, immutabilia. Sed semel ac quædam civilis societas legitimo modo in concreto actuata et constituta et firmata sit, adimpleta illa conditione quam requirit natura ut in facto civilis illa auctoritas exsurgat, quæ in abstracto determinata est a natura, quicumque legitime imperat, jure divino, jure naturali imperabit, jure

suo summa potietur potestate, quin ad theorias mandati recurratur. Mundanæ enim vicissitudines non faciunt nisi concretare abstractam naturæ institutionem ponendo quasdam legitimas conditiones quibus positis naturæ ordinatio suum effectum consequetur, et auctoritas a natura instituta in concreto exsurget.

II. Sed contra civilis auctoritas nunquam poterit præscribere quædam jura ecclesiastica, vel jure proprio sibi vindicare aliquam auctoritatem in Ecclesia. Ecclesia enim est quædam societas immediate et in concreto a Deo instituta, ut sic, sub determinata quadam forma regiminis, determinato subjecto auctoritatis, determinata classe personarum quæ in Ecclesia summam imperii tenerent, indelebili charactere obsignatæ et distinctæ. Unde ea quæ in statu civili sunt *modalitates* et existendi modi societatis civilis independenter a *natura* societatis, sunt in Ecclesia *naturales*, *essentiales,* ut si quæ ex hisce depereat, non habebimus amplius Ecclesiam Christi.

Affer exemplum, si vis, societatis conjugalis et familiæ, quæ habet institutionem a natura in concreto. Inde non potest accidere ut Ecclesia evadat territorialis, sub imperio independenti principis, nec potest princeps unquam præscribere quædam jura ecclesiastica tanquam si de jure suo ageret. Proinde non potest cohonestari actio principis in re ecclesiastica nisi de mandato Ecclesiæ vel expresso, vel tacito, vel præsumpto.

Hac sola theoria mandati possunt explicari partes quas sibi sumpserunt aliquando christiani imperatores de juribus Ecclesiæ, et plures facultates quæ conceduntur principibus per concordata. Competentia principis tota fuit de mandato Ecclesiæ ; jura mandantis exercuit, non jura sua ; modificatum est exercitium

potestatis Ecclesiæ, sed potestas translata non fuit, nec potuit in subjectum jure divino incapax quod eam posset recipere. Sed potuit Ecclesia positiva quadam conventione cedere cuidam determinato exercitium suorum jurium favore principum prout fecit per concordata : inde habes hæc theoremata in concreto quoad limites utriusque potestatis :

1° *Ecclesia potest in re civili quantum cæteri principes legitime constituti.*

2° *In re ecclesiastica quousque non demonstratur, positiva quadam conventione cuidam determinato exercitio jurium non renuntiasse pro bono suo, hæc renuntiatio non supponitur.*

3° *Princeps in re ecclesiastica id omne potest quod concedit Ecclesia de mandato. Sed cessat omnis præsumptio si princeps de jure suo agere prætendit in Ecclesia.*

TITULUS II.

DE MUTUA PROTECTIONE ET ADVOCATIA UTRIUSQUE POTESTATIS ECCLESIASTICÆ ET CIVILIS.

I. *Nemini noceas : alium quantum potes juvato.* Hæc sunt duo suprema capita ordinis moralis, unde deducuntur omnia hominum officia quibus ligantur inter se, sive considerentur singuli in ordine ad singulos, sive ipsæ societates inter se. Hæc eadem principia applicabimus respectibus vel relationibus moralibus inter Ecclesiam et statum; ecclesiastica auctoritas posset civilis auctoritatis jura invadere aut vice versa, propterea definienda est utriusque auctoritatis competentia; sed etiam debet una alteram juvare, propterea definienda et ponenda est utriusque auctoritatis mu-

tua advocatia. Primum peregimus antecedenti titulo; aliud præsenti titulo exordiemur.

Itaque nemo est qui possit in dubium revocare officium mutuæ advocatiæ, nec docere ex principio statum hostilem vel indifferentiæ inter utramque auctoritatem. Hoc enim nimis repugnaret ordini providentiæ Dei, qui per mutuam utriusque potestatis conspirationem finem in homine intentum voluit obtinere. Unus enim idemque Deus utramque pro bono unius ejusdemque hominis instituit auctoritatem; utraque ergo ut fini suæ institutionis respondeat et sit in ordine a Deo volito, ne Dei ordinationi resistat, debet alterius bono in ordine suo cooperari. Unde Deus dispensatione magnifica, ut ait Gelasius, sic actionibus propriis, dignitatibusque distinctis officia potestatis cujusque discrevit ut christiani imperatores pro æterna vita pontificibus adjuvarent, et pontifices pro temporalium cursu rerum, imperialibus dispositionibus uterentur, et, ut ait S. Leo, epist. 15 alias 95, licet ecclesiastica disciplina sacerdotali contenta judicio cruentas non efficiat ultiones, severis tamen christianorum principum constitutionibus adjuvatur, dum ad spirituale nonnunquam recurrunt judicium qui timent temporale supplicium.

Videlicet non secus ac Deus ut conciliaret inter homines vinculum mutuæ benevolentiæ et mutui adjutorii, eos fecit neminem sufficientem sibi, sed unum alio indigentem in ordine ad finem, sic ut conciliaret mutuam protectionem status ad Ecclesiam, et vice versa, voluit unam potestatem alterius ope indigere in ordine ad finem suæ institutionis. Indiget enim civilis ecclesiastica auctoritate, quæ informet conscientiam populorum et faciat esse subditos majestati, non propter timorem, sed propter conscientiam, et timore

judicii Dei et sanctionis æternæ eos contineat in officio, quos meræ civiles sanctiones non continerent. Ex alia parte quodammodo Ecclesia ope civilis societatis indigeret, ut per civiles sanctiones et timores temporalium pœnarum continerentur in obsequio qui spirituales et æternas pœnas contemnerent.

Ita junctis officiis tanquam unius ejusdemque Dei duplex minister utraque auctoritas pro parte sua bonum hominis a Deo volitum obtineret. Gregorius IX : In exordio nascentis mundi provida, et ineffabilis Dei providentia..... in firmamento cœli duo statuit luminaria, majus et minus : majus ut præesset diei, minus ut præesset nocti. Quæ duo sic ad propria officia in regione zodiaci offeruntur, ut etsi multoties ex obliquo respiciant, unum tamen atterum non offendat; immo quod est superius inferiori suam communicat claritatem. A simili eadem æterna provisio in firmamento terræ duo voluit esse regimina : sacerdotium et imperium...., ut homo qui erat in duobus componentibus, diutius dissolutus duobus retinaculis frenaretur, et sic fieret pax orbi terræ omnibus excessibus limitatis.

Sed potius de natura hujus protectionis ne in malum Ecclesiæ convertatur quædam proponenda sunt *theoremata.*

1° *Protectio nullam importat jurisdictionem circa materiam, seu objecta auctoritatis protectæ.*

Ratio est quia sunt ambæ potestates independentes in ordine suo, et nequeunt unam alteri in suo ordine subordinari.

2° *Protectio, tuitio, custodia, defensio supponunt rem protectam, custoditam, defensam jam existentem, formatam et in suo esse perfectam, et solum important ejusdem conservationem contra illos qui eam vellent violare.*

Corollaria.

II. 1° Auctoritas protegens non potest in societatem protectam leges ferre, et leges hujusce societatis propriæ interpretari, applicare, abrogare, de illarum opportunitate judicare, vel illarum lationem impedire; sed liberam lationem procurare, interpretationi subesse, applicationi favere, executionem procurare.

2° Non potest disponere de negotiis protectæ societatis, vel cum ea comprincipaliter in eumdem actum concurrere; sed relicta libera rei dispositione illi cui de jure competit, debet hunc fideliter et secundario comitari.

Objiciunt regalistæ : Tunc princeps fieret merum et cæcum instrumentum in manibus Ecclesiæ; sed jus est principi judicare de justitia administrationis propter quam judex ecclesiasticus implorat auxilium. Sic princeps non poterit subvenire principi confœderato, nisi de justitia causæ judicarit. Resp. :

1° Ipsa auctoritas imperantis est motivum sufficiens ad præstandum illud auxilium; necessarium non est proprium judicium. Sic ut subditus rationabiliter agat, necesse non est ut expendat justitiam legis, vel miles justitiam et opportunitatem imperii ducum.

2° Distinguuntur duæ species protectionis : una cum jurisdictione, sicut principis in subditos, alia sine jurisdictione, ut principum confœderatorum. Hujus generis est protectio Ecclesiæ, licet illa ex conventionibus derivata sit, hæc ex jure naturali et divino.

3° Quoad status confœderatos, princeps poterit ad examen revocare justitiam causæ, quia sola auctoritas recurrentis non reddit tutum de justitia prætentionis, nec adest tribunal quod habeat jurisdictionem super adversarium, et judicet.

III. — Generatim ergo hæc statuenda sunt :

1° Cum protector habet jurisdictionem, jus habet pronuntiandi de justitia causæ antequam proteget. Sic princeps in subditos : tum judicabit auctoritatem.

2° Cum protector est subjectus jurisdictioni protecti, debet in obedientia protectionem. Protector tum stabit auctoritati protecti implens officium vel benevolentiæ vel obedientiæ.

3° Cum protector et protectus nullam habent ad invicem auctoritatem, nec contra potestatem quæ implorat auxilium, jus habent judicandi de justitia causæ : (non enim adest auctoritas superior alicui ipsorum quæ possit auctoritative judicare;) tunc non possunt se rationabiliter determinare nisi examine jurium mutuorum. Sic cum princeps confœderatus implorat auxilium contra alium principem, protector potest causam judicare antequam præstet petitum auxilium.

Theorema II.

IV. *Protectio importat ut auctoritas protegens dirigat media legalia ordini suo respondentia ad defensionem jurium auctoritatis protectæ.* Ratio deducitur :

1° Per exclusionem ab antecedenti theoremate. Si enim ordines per defensionem non perturbentur, nec immisceantur, non erit nisi concursus, directio, coordinatio unius ordinis in favorem alterius, inconfusa manente utraque auctoritate, impermixtis mediis, impermixtis finibus, servato utroque ordine.

2° Ex natura defensionis, quæ est coordinatio virium, vel facultatum unius ad sustinendam debilitatem vel insufficientiam virium aut facultatum alterius.

3° Ex facto quo videmus SS. Patres postulare imperatoriam confirmationem, seu civilem sanctionem,

legibus ecclesiasticis, et ex alia parte imperatorum auctoritatem canonicis sanctionibus communiri.

Corollaria.

1° Ex eo quod ordines non permiscentur, sequitur quod (firma manente obligatione concurrendi mutuo et servata excellentia ordinis ecclesiastici præ ordine civili), auctoritas protegens, in quantum concurrit propriis mediis sui ordinis in bonum alterius, est in sua jurisdictione, nec gerit simplex mandatum alterius; sed agit jure suo, ideoque est judex competens de mediis quibus velit concurrere, de quantitate concursus, videlicet prohibendo et puniendo aggressiones contra Ecclesiam, ac positive sustinendo præscriptiones et decisiones Ecclesiæ, ac etiam concedendo privilegia, honores peculiares quæ magis magisque favorem augeant et protectionem; est judex etiam legitimus in applicatione horum mediorum obsecundando tamen, nunquam præveniendo protectæ auctoritatis judicium.

Ex. gr. : Si delicto hæresis sit apposita pœna civilis exilii, carceris, triremium, mortis, prius reus damnandus est in ordine ecclesiastico, quo constat de natura, de existentia delicti, de imputabilitate delinquentis; et postquam reus in ordine ecclesiastico damnatus extiterit, definita quæstione hac præjudiciali et principali, princeps de reo judicabit in ordine ad sanctiones civiles. Quando enim concurrunt una tanquam legislativa in materia propriæ jurisdictionis, alia tantum tanquam protectrix, hæc non poterit aliam unquam prævenire tanquam judex, sed comitari tanquam secundaria.

2° Ex eo quod objectum protectionis sint jura protectæ auctoritatis sequitur :

1° Objectum esse libertatem et independentiam juris constituendi : ergo impediet tumultus.

2° Executionem juris ab ea vel pro ea constituti vel quoad personas vel quoad res.

Theorema III.

V. *Protectio dat bonam præsumptionem mandati auctoritati protegenti ex parte auctoritatis protectæ, ut nonnulla agat quæ essent de competentia protectæ auctoritatis.*

Ratio. Unusquisque censetur probare id quod vergit in propriam utilitatem; sed actio protectionis natura sua ordinatur in favorem et utilitatem protecti.

Corollaria.

Ergo nisi aliquid obsit huic præsumptioni, ex. gr., quod princeps jure proprio agere præsumat vel agat in præjudicium Ecclesiæ, vel dissentiente et reclamante Ecclesia, vel tacente quidem sed quia reclamare non potest, uno verbo, nisi ob aliquam causam hæc præsumptio corruat, concedi potest de mandato Ecclesiæ aliqua actio in re ecclesiastica principi tanquam protectori Ecclesiæ. Vice versa, idem jus præsumi posset pro auctoritate ecclesiastica ad tuendam conservandamque civilem rempublicam.

Si munus protectoris dat præsumptionem mandati, multo magis ponit in statu recipiendi hujus mandati vel expressi, vel taciti ab auctoritate protecta.

PARS SECUNDA

DE RELATIONIBUS INTER ECCLESIAM CATHOLICAM ET CÆTERAS COMMUNIONES RELIGIOSAS.

PROOEMIUM.

Queis placet indifferentia in negotio religionis vel quia putant omnes religiones non esse nisi totidem formas accidentales, et expressiones plus minusve perfectas unius cultus divini, quarum singulæ pro suo modulo laudant Deum, vel quia religionem non profitentur nisi tanquam medium politicum continendi populum præsertim rudem in officio; statuere vellent eam relationem juridicam inter Ecclesiam catholicam et cæteras communiones religiosas, quæ est inter diversas gentes alteram ab altera independentes secundum principia juris gentium consideratas. Sed hæc systemata quæ ponunt tanquam principium indifferentiam in negotio religionis, si ad lumen rectæ rationis absurda sunt, ad lumen fidei considerata sunt blasphema omnino. Unam enim credimus sanctam Ecclesiam catholicam extra quam nemo salvari potest : propterea sectas omnes acatholicas esse societates illegitimas, erroneas, Deo odibiles et injuriosas habere debemus, quæ nunquam in comparationem cum vera Christi Ecclesia venire et pari jure censeri possunt.

Religio catholica est sola vera ; ergo sola jus habet subsistendi; cæteræ sectæ religiosæ civilem quamdam consistentiam possunt acquirere , juridicam vero nunquam.

Religio catholica habet jus ad sui diffusionem; ergo ad destructionem cæterarum.

Sed sese diffundit mediante convictione, non autem mediis coactionis; ergo admittit tolerantiam in facto ne pejus obveniat.

Inde relationes inter Ecclesiam catholicam et cæteras communiones religiosas possunt considerari prouti sunt *de jure* et prouti sunt *de facto*.

TITULUS PRIMUS.

RELATIONES DE JURE.

Relationes de jure considerari possunt vel generatim inter Ecclesiam catholicam et sectas omnes acatholicas, vel speciatim inter Ecclesiam catholicam et varias species sectarum ab ea dissentientium.

CAPUT PRIMUM.

RELATIONES DE JURE GENERATIM.

Theorema I.

I. *Una tantum religio vera esse potest.* Ratio est quia veritas non potest esse indifferens ad opposita, vel esse in contradictoriis.

Corollaria.

1º Ergo ex omnibus sectis religiosis invicem dissentientibus una tantum potest habere juridicam existentiam : cæterarum existentia illegalis est de natura sua, nec ullo unquam titulo legitimari potest; componi enim non potest cum juridica unius existentia, quia

simul diceretur quod veritas inciperet esse in contradictorio (1).

2° Ergo non possunt spectari variæ communiones religiosæ tanquam diversæ gentes altera ab altera independentes secundum principia juris gentium consideratæ. Hæc enim supponerent juridicam et legalem omnium existentiam, quod est absurdum, et in eumdem censum reduceret veritatem cum errore quod est impium, obligaret veritatem ad recognoscendum, conservandum, tuendum errorem.

3° Inde concidit systema de indifferentismo religioso cum suis omnibus corollariis de libertate doctrinæ, de libertate cultus, de libertate conscientiæ; nulla enim moralis libertas homini asseri potest vel jus permanendi in errore.

Theorema II.

II. *Præsenti Providentiæ ordine una supernaturalis religio vera esse potest.* Ratio, quia præsens Providentiæ ordo non est ordo pure naturalis, cui religio quædam mere naturalis satisfaciat. Placuit enim Deo quasdam veritates supernaturali modo hominibus revelare, ad eas-

(1) Vide syll. encyclicæ *Quanta cura* adnexum : Prop. domnatæ :

LXXVII. Ætate hac nostra non amplius expedit religionem catholicam haberi tanquam unicam status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis.

LXXVIII. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

LXXIX. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

que credendas supernaturalibus viribus gratiæ humanam naturam elevare, et sic ad finem supernaturalem ordinare. Unde qui in naturali tantum ordine manere vellet, non esset in ordine a Deo positive volito, et devius a suo ultimo fine foret ; propterea ipsum naturale obsequium erga Deum et illius voluntati et ipsa obligatio obtinendi finem importat ordinem supernaturalem.

Ordo supernaturalis sic affecit ordinem naturalem, ut qui in unum peccaverit, in alterum peccet necesse est ; ipse enim ordo naturalis præcipit observantiam ordinis supernaturalis in abstracto pro omnibus, in concreto pro iis qui illum noverint.

Corollaria.

1° Ergo nulla societas religiosa potest cohonestari ex eo quod nil contineat contra jus naturale.

2° Quælibet societas religiosa quæ non reciperet integram divinam revelationem in concreto, qualem Deus hominibus dederit, non potest cohonestari ex eo quod nonnulla capita præcipua revelationis recipiat.

3° Quælibet societas quæ non sit instituta cohærenter ad divinam revelationem, pari modo illegitima est, nec potest excusari ex eo quod recipiat divinam revelationem.

Theorema III.

III. *Ecclesia catholica romana est sola societas religiosa supernaturaliter a Deo instituta tanquam unicum medium obtinendæ salutis æternæ ultimi finis.* Ratio patet ex omnibus motivis credibilitatis.

Corollaria.

1° Ergo omnes societates religiosæ quæ non pertineant ad Ecclesiam catholicam, quæ sint acatholicæ,

sunt contra divinam revelationem, contra exigentiam ipsius ordinis naturalis in præsenti Providentiæ ordine, et nulla facta exceptione omnes sunt illegitimæ cum officiis ordinis naturalis non cohæreant, Deo odibiles, hominibus damnosæ sunt, nec ullo unquam pacto legitimari possunt.

2° Nullum jus habent ut ab Ecclesia catholica recognoscantur, immo nec potest Ecclesia hoc præstare, salva sua institutione, immo debent ab Ecclesia ex officio impugnari, convelli, exterminari si possint; ipsæ vero iniquissime faciunt quando catholicæ fidei doctrinam, propagationem impugnant, vel Ecclesiæ imperio resistunt.

CAPUT II.

RELATIONES DE JURE SPECIATIM.

I. Inter sectas acatholicas distingui debent sectæ christianæ a non christianis, communiones baptisatorum a sectis infidelium. Primi generis essent sectæ schismaticorum vel hæreticorum; secundi generis essent sectæ Hæbreorum, paganorum, Mahometanorum.

Magnum adest inter utrumque casum discrimen; illi enim per baptismum Ecclesiam ingressi sunt, et cum per schisma aut hæresim characterem christiani non amiserint, adhuc sunt subditi auctoritatis ecclesiasticæ. Contra vero alii, etsi obligentur ingredi Ecclesiam, tamen ad eam non pertinent omnino, sed foris sunt constituti. Unde:

Theorema I.

II. *Ecclesia se habet ad sectas schismaticorum, et hæreticorum, sicuti mater ad filios indociles et discolos et incorrigibiles, quos e domo sua expulerit.*

Corollaria.

Sicut non amiserunt filii naturam, sic nec possunt excutere matris imperium ; propterea jus habet Ecclesia ut suis legibus obediant, licet charitatis causa soleat quandoque cum iis temperare ab imperio, vel dispensare ne ex materno imperio pejores fiant.

Theorema II.

III. *Ecclesia se habet ad sectas infidelium sicuti ad gentes quas in propriam societatem nunquam recepit ; sed divino jure in eam ingredi debent.*

Corollaria.

1° Ergo Ecclesia jus habet ad prædicandum gentibus evangelium Christi, et officium extirpandi pravas ipsarum superstitiones, et curandi, qua poterit, illarum conversionem; illique injuria omnino sese opponunt gentes quæ jure divino obligantur ad revelationem inquirendam, expendendam, amplectendam.

2° Verum cum gentes ad Ecclesiam nec pertinuerint, nec pertinent omnino, nullam super eas , quoad sunt in infidelitate, Ecclesia jurisdictionem exercet , nec exercere potest.

TITULUS II.

RELATIONES DE FACTO.

I. Relationes de facto valde differunt a relationibus de jure. Nam ubique, jure inspecto, una Ecclesia catholica habet juridicam existentiam , et sola deberet omnibus aliis sectis religiosis dominari ; de facto autem alicubi Ecclesia catholica, quoad suam juridicam existentiam, in regno sectis acatholicis æquiparatur, alibi vero sectæ acatholicæ dominantur , illisque solis juri-

dica existentia in regno asseritur; cultus catholicus vix aut ne vix quidem toleratur; immo vero interdicitur, prohibetur, punitur. Ita variis in locis infidelium tantas infidelitas egit radices, ut fidei catholicæ omnino prohibeatur accessus.

Alibi, ut in Russia et in Anglia, schisma ab ipsa regia majestate inductum aut protectum tantum egit dominatum ut catholicis ipsa civilia jura in regno adempta fuerint, et vix, diminuto furore schismatis, fuerint aliqua ex parte restituta. Alibi, ut in Germania, sectæ protestantium armis et seditionibus sic profecerunt ut tandem in celebri pace Westphalica civilem consistentiam in statibus Germaniæ acquisiverint, et catholicæ Ecclesiæ fuerint in omnibus æquiparatæ.

Sic demum si præscindamus a nonnullis regnis ubi adhuc religio catholica sola dominatur, cultus autem acatholicus vix toleratur cum magna restrictione ad impedienda pejora mala, in cæteris regnis etiam catholicis libertas cultus variis religionibus, et eadem fere jura asserta sunt a lege civili.

II. Sed hæc, uti videtis, et conditio facti, non juris; nulla enim protectione, aut lege civili, nullo humano jure possunt juridice cohonestari sectæ illæ religiosæ quæ veræ religioni a Deo volitæ, sunt oppositæ. Quapropter Ecclesia hujusmodi sectas omnes nunquam tanquam legitime constitutas recognovit; contra civiles dispositiones quæ tantum favorem sectis acatholicis contulerunt, alte reclamavit, nec unquam censuit per eas jura sua imminui posse, licet subjacens majori vi iis aliquando uti non possit (1).

(1) 1° Libertas cultuum non potest asseverari tanquam principium æquitatis naturalis: « quæ est pejor mors animæ, ait S. Augustinus (Ep. 66), quam libertas erroris. »

2° Occurrere tamen possunt quædam adjuncta in quibus po-

Mirum autem sibi non reputat talia ab hominibus perpeti ; novit enim se sub civilibus persecutionibus natam et propagatam esse, non violentis mediis sed suasionibus et virtutum exemplis propagatam esse, et independenter a civili tuitione, omnipotenti Dei assistentia juvari.

testas suprema politica non teneretur ad verum Dei cultum omnibus imponendum, tanquam unicum status cultum; propter moralem impossibilitatem statum religiosum immutandi, libertas cultuum, adhuc existens, a suprema potestate politica legitime seu absque culpa servari potest.

3° Inde liquet æquivocam esse distinctionem a nonnullis recenter invectam inter *jus* et *factum*, ac si de jure tantum, seu ut illi interpretantur, in solo ordine abstracto et theoretico, libertas illa admitti non posset, dum in ordine concreto et quoad praxim esset res arbitrio potestatis civilis omnino permissa. Nemo enim non videt quam pugnans sit hæc doctrina (et quantum differt ab illa distinctione inter *thesim* et *hypothesim* solertissime inducta a conscriptoribus Ephem. : la civilta cattolica), juxta quam quisque gubernans teneretur talia principia practica theoretice profiteri, quæ tamen in praxi pro libito posset missa facere. Itaque hic opus est distinctione : si de *facto particulari* ageretur, nempe de statu hujus vel illius nationis, gravioribus impedimentis irretitæ, sic licita esse posset lex aliqua libertatem cultuum declarans, ut princeps non teneatur talem legem existentem abrogare. Verum si ageretur de *facto generatim sumpto*, seu de ordine practico universim sumpto, certo negare debemus licitam esse libertatem cultuum; nam hæc hypothesis in ipsum jus, seu in alterum membrum distinctionis recidit. (Breviar., Phil. sch., III p., s. 2, c. 3, § 2.)

FINIS SECUNDÆ SECTIONIS ET TRACTATIONIS GENERALIS.

TRACTATIO SPECIALIS

DE HIERARCHIA DIŒCESANA.

I. Spectatis hactenus juribus et officiis potius in communi, nempe quoad fundamentalia principia ex quibus specialia jura singulorum descendunt aut melius intelligi et definiri quæunt, ad altiorem migrandum foret tractationem quæ peculiaribus adjunctis in quibus christiani reperiri possunt, stabilita principia applicat, quæque proinde jura et officia membrorum Ecclesiæ *in specie* considerat.

Verum disquisitio hæc ad institutiones non pertinet, sed objectum constituit *superioris expositionis*. Tirones enim, in universitatibus jurisprudentiæ canonicæ, postquam legendis institutionibus, seu principiis et elementis juris ecclesiastici operam dederunt, textui evolvendo se addicere solent. Et hic ordo et gradus studiorum non modo ipsa ratione sed et antiquitatis exemplo suadetur. Jam olim scholaribus qui in juris romani studium incumbere debebant, hunc methodum præscripsit Justinianus in Digestorum proœmio : « Dubio procul quidem est, necesse esse institutiones in omnibus studiis primum sibi vindicare locum, utpote prima vestigia cujusque scientiæ mediocriter tradentes. »

II. Qui ergo, jam peracto institutionum curriculo, juri canonico operam diligentius dare vellet, tractationes speciales seu commentaria in decretales consulat. Istæ autem tractationes ratione methodi ad duplex genus revocare possunt : 1° alii enim interpretes

textus, ut Reiffenstuel, Pirhing, Schmalzgrueber, etc., methodo magis synthetica utuntur, quatenus scilicet doctrinam ipsam in singulis *titulis* definitam exponunt, minime solliciti de ordine capitum in corpore juris; 2° alii, ut Barbosa, Fagnanus, Giraldus, etc., capita ipsa singillatim explicanda assumunt, adhibita scholastica interpretandi methodo. Qui ergo in disciplina canonica callere cupiet, hæc opera assidue revolvat.

Verum præcipua saltem hierarchiæ diœcesanæ jura et officia, quantum satis est, in hoc opere declarare ac expromere oportebat : inde hisce institutionibus nonnulla per modum appendicis addemus, quæ ad tractationem altiorem pertinent. Stabilitis ergo superius principiis generalibus, nunc ad rem firmius definiendam referemus ipsas S. Cong. Rom. declarationes, quæ respiciunt : 1° episcopi, 2° vicarii generalis, 3° canonicorum, 4° parochorum jura et officia. Hic ergo appendix in quatuor articulos dividitur.

ARTICULUS PRIMUS.

DE EPISCOPI JURIBUS ET OFFICIIS.

1. JURISDICTIO IN ECCLESIAS REGULARIUM IPSOSQUE REGULARES.

I. *Quoad ecclesias et personas.* 1° Si regulares aliquid indecorum vel prohibitum in ecclesiis suorum ordinum committant vel admittant, cura est ordinariorum procedendi et providendi etiam contra ipsos regulares eorumque ecclesias, prout ipsis opportunum videbitur, etiam per viam interdicti aut censurarum, rite tamen servatis omnibus a jure requisitis. (*S. Cong. con. in Mediolan., junii* 1587.)

2° Potest episcopus concionari in ecclesiis regularium, etiam ipsis regularibus contradicentibus in actu

visitationis ecclesiæ habentis curam animarum. (*Ead. Cong.*, 16 *mart.* 1630.) Episcopus in omnibus suæ diœcesis ecclesiis, *quantumvis exemptis et privilegiatis*, est honorandus, ita ut ei is honor tribuatur, quæ suæ dignitati par sit, eique in choro, in capitulo, in processionibus et in aliis actibus publicis primam sedem et primum locum, quem ipse elegerit, dandus et concedendus est, nec potest prohiberi, quominus in dictis ecclesiis etiam exemptis pontificalia exerceat, imo potest episcopus contradictores pœnis ecclesiasticis compellere. (*S. C. Rit.* 6 *dec.* 1613.) Imo erigere potest Baldachinum. (*C. Rit.* 12 *jul.* 1628.)

3° Parochi regulares subsunt correctioni episcopi in his quæ ad curam animarum et sacramentorum administrationem pertinent. (*C. C.* 16 *jul.* 1639.)

4° Potest episcopus regularibus qui confessiones personarum secularium audiunt sine approbatione episcopi loci, vel prædicant in ecclesiis sui ordinis, non petita illius benedictione, aut in aliis ecclesiis absque ipsius licentia, vel in ecclesiis etiam sui ordinis, ipso contradicente, in vim constitutionis Gregorii XV (*Immutabili Dei Providentia*), tanquam sedis apostolicæ delegatus administrationem sacramenti pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eosque juris remediis coercere ac punire. (*C. C.* 14 *maii* 1648.)

5° Episcopus regularem semel et prævio examine approbatum ad audiendas confessiones personarum secularium, suspendere non potest, sine nova causa, eaque ad confessiones ipsas pertinente. (*Eadem causa.*)

6° Potestne episcopus administratores redituum monasterii exempti ad redditionem rationis compellere, non vocatis superioribus monasterii, eosque administratores amovere, quatenus iidem superiores interpellati id renuant facere? Respondit S. C. C. ne-

gative quoad primam partem, affirmative quoad secundam. (26 *jan.* 1692.)

7° Ad dubium an capellani et confessarii sint a superiore monasterii deputandi et ab episcopo approbandi? Respondit S. C. C. affirmative quoad deputationem et approbationem confessarii spectare ad episcopum (*eadam causa*), in qua etiam declaratum fuit eveniente obitu alicujus monialis vel educandæ non posse episcopum prohibere, ne in ecclesia monasterii celebrentur exequiæ.

8° Parochi regulares, etiamsi sint abbates cujuscumque ordinis, et præsertim Præmonstratenses, Cistercienses et Benedictini non possunt a superioribus regularibus ad curam animarum secularium, et non commensalium (in parochiis diœcesis Olomucensis), licet illæ monasteriis exemptis sint unitæ ac annexæ, sive de jure patronatus destinari, illamque exercere sine approbatione episcopi.

Nec regulares dari in coadjutores dictorum parochorum possunt a superioribus regularibus sine expressa licentia episcopi; sed est in potestate ipsius episcopi in approbatione confessariorum regularium limitare eorumdem facultates non solum quoad tempus, sed etiam quoad personas et loca, in quibus debent confessiones audire. (*C. C.* 7 *julii* 1755.)

9° Episcopus (Squillacensis) patres minores conventuales (degentes in terra Mottæ Bruncaturi) monere nequit, ne dominicis festisque diebus ante missæ parochialis celebrationem, vel donec illa absolvatur, sacra peragant cum præcedenti tintinnabulorum sonitu in earum ecclesia; neque ejus monitio regulares eosdem se ob generalem mendicantium ordinum exemptionem a jurisdictione episcopi immunes autumantes adstringit. (*C. C.* 28 *feb.* 1761.)

10° Potest episcopus visitare ecclesias quascumque seculares intra fines suæ diœcesis existentes vigore cap. 8, sess. 7, C. T., etiamsi ad regulares pertineant et ab eis dependeant, dum tamen per seculares eis deserviantur.

Item monasteria quæcumque commendata, in quibus non viget regularis observantia, ac beneficia tam curata quam non curata secularia et regularia qualitercumque commendata vigore cap. 8, sess. 21, C. C. 15 feb. 1596.

Præterea tam beneficia curata unita quibuscumque monasteriis, et locis piis ex cap. 7, sess. 7, quam etiam personas exercentes curam animarum in monasteriis regularium, quibus ea cura imminet juxta cap. 11, sess. 25, De regul. (*Ead. decl.*)

11° Episcopus potestatem habet visitandi societates personarum secularium in ecclesiis regularium exemptorum existentes, non autem earum capellas, et altaria, quæ intra easdem ecclesias consistunt. (*C. C. januar.* 1598.)

Sed in posteriori declaratione ejusdem Cong. (*in Guardien.*, 22 *sept.* 1600) hæc habentur : Episcopo est facultas visitandi societates laicorum in ecclesiis regularium quamvis exemptorum, existentes, atque etiam capellas dictorum sodalium inibi sitas, *quatenus eorumdem sodalium administrationem respiciant,* atque etiam a societatum administratoribus rationem administrationis exigere.

Et denique, in *Nucerin. Paganor.* (23 jun. 1629), ulteriorem explicationem habemus : Et si societatibus incumbat onus manutenendi altare, et illius cultum, episcopus potest visitare circa ea quæ respiciunt ipsam manutentionem, cultum et ornamenta altaris, seu capellæ, onera missarum ac divinorum officiorum ibidem

celebrandorum, et circa ea omnia quæ ad obligationem eorumdem sodalium pertinent.

In Ripana 30 mart. 1715 declaratur episcopum (Ripanum) posse visitare altare Sanctissimi existens in ecclesia S. Dominici patrum prædicatorum... ac ad societatem sanctissimi Rosarii pertinens.

12° Episcopo (Regiensi) ecclesiam patrum minorum S. Francisci conventualium (quæ in oppido Saxoli Regiensis diœcesis posita est) visitare non licet. (*C. C. 14 dec.* 1754.) Et in Salutiar. 7 aug. 1756 declaratum fuit episcopum minime jus habere visitandi ecclesiam seu capellam (S. Antonii Palovini Carmignolæ) extra claustra et districtum conventus, quam guardianus minorum observantium S. Francisci ob sua privilegia esse exemptam defendit.

II. *Quoad clausuram et electiones abbatissarum ec.* 1° Apud Ferrar. (vox Ep., art. 6, n. 98 seqq.) multæ declarationes afferuntur, ex quibus hæc colligi possunt: episcopus monasteriorum monialium clausuram ingredi non potest, nisi in casu necessitatis, et non nisi sociatus a paucis senioribus ecclesiasticis viris (Greg. XIII in const. *Dubiis*). Et S. Cong. Ep. et Reg. (22 *maii* 1615) decrevit episcopum nonnisi in necessitatis articulo et gravibus maturæque ætatis ecclesiasticis personis associatum monasteriorum septa ingredi posse.

Et episcopus contrafaciens hisce juris dispositionibus, pro prima vice incurrit interdictum ab ingressu ecclesiæ, pro secunda incurrit suspensionem a munere pontificali et a divinis, et pro tertia, ac deinceps incurrit excommunicationem ipso facto absque alia declaratione. (Id declarat Greg. XIII in const. *Dubiis.*)

2° Medici, chirurgi, aliique ministri necessarii ingredi possunt in clausuram cum sola licentia et appro-

batione superioris regularis, absque licentia et consensu episcopi. (*S. C. C.* 1581.)

3° Episcopus (Mazariensis) ingredi potest monasteria suæ diœcesis absque ulla limitatione servatis servandis, quando vocatur ab aliqua moniali infirma, quæ pro sua devotione vult confessionem explere. (*C. C.* 5 *jul.* 1727.)

4° Episcopus non debet auferre monialibus jus, quod habent, eligendi officiales; libertas enim tales officiales eligendi non est ab eis auferenda, neque ad certas personas coarctanda, quoties electio fiat de personis ætate, moribus et experientia habilibus. (*S. C. Ep. et Reg.* 12 *maii* 1717.)

5° Episcopus potest interesse abbatissæ electioni, juxta formam declarationis post constitutionem Gregorianam (qua declaratur episcopum per se vel per alium interesse ac præsidere posse). [*C. C.* 26 *jan.* 1692.] Et in Wormatiens. (9 *jul.* 1746) sanxit eadem cong., ut posita facultate per constit. Greg. episcopis concessa interveniendi et præsidendi electionibus abbatissarum per se vel per alium, non licere ordinario prædicto interesse et præsidere per plures commissarios ab ipso deputatos.

6° Ad ipsum ordinarium non spectat jus abbatissas electas confirmandi. (*C. C.* 17 *sept.* 1746.) Nec jus denuntiandi et determinandi diem electionis faciendæ competit (episcopo Wormatiensi), sed abbas (Eberbacensis, seu superior regularis monasterii de quo agitur in hac causa) hoc jus habet. (*Ead. decl. dub.* 6.)

7° Potest episcopus inhibere regularibus præsertim Cisterciensibus et Benedictinis, ut sine examine ordinarii puellas ad habitum et professionem admittant, et præcise ne ad electionem abbatissarum exemptarum deveniant, non significata ordinario die electionis, cui

episcopus etiam per alium interesse et præsidere possit. (*S. C. C.* 7 *julii* 1755.)

II. EPISCOPUS QUOAD PAROCHIAS EARUMQUE RECTORES, CAPITULUM ET CANONICOS.

1º Episcopos successores posse, superveniente rationabili causa, iterum ex officio, etiam extra visitationem examinare parochos aliàs ad ecclesias parochiales approbatas, statuitur *in Placentina,* 26 aug. 1628.

Et eadem C. C. (13 jan. 1635) statuit etiam episcopos successores superveniente rationabili causa, posse etiam ex officio iterum examinare, tam in visitatione quam extra, parochos, quamvis regulares, approbatos tempore provisionis parochialium.

Rationabilem causam suppeditat vehemens suspicio de illorum imperitia. (*Pampelonen.* 15 *jan.* 1667.) Nec requiritur ut judiciales probationes imperitiæ præcedant. (*Ead. decl.*).

2º Episcopum potuisse edicere, ne curati sine ejus licentia abesse possint, decretum prodiit, *in Terracinen.* (19 *feb.* 1628.) Et in eadem declaratione statuit etiam S. C. C. posse episcopum edicere, ne ex diœcesi absint sine illius licentia, quam tamen ipse absque rationabili causa denegare non debet.

3º Vicarii et curati renuentes synodo diœcesanæ et congregationibus casuum conscientiæ intervenire cogi et puniri possunt ab episcopo. (*C. C. dec.* 1691.)

4º Episcopus nequit inhibere parochis, et vicariis parochialium ecclesiarum, tam secularium quam regularium, ne extra eorum parochias audiant confessiones suorum fidelium, neque potest prohibere eisdem parochis et vicariis, ne in eorum parochiis audiant confessiones suorum parœciæ fidelium. (20 *sept.* 1698.)

Episcopus potest edicere quominus presbyteri et

clerici servitio alicujus ecclesiæ adscripti abesse possint absque ejus licentia; si autem ipse irrationabiliter illam denegaverit, recurrendum est ad S. C. C., cujus erit juxta casuum contingentiam providere. (*Terracinen. feb.* 1628.)

5° S. C. planum fecit ac perspicuum, episcopum esse parochum ecclesiæ cathedralis solius in civitate et territorio Andriæ parochialis, quoad omnes effectus, non vero capitulum cathedralis ejusdem. (23 *ap.* 1763.) Reproposito inde dubio et plenius illustrato, censuit, prævio recessu a decisis, curam animarum habitualem esse penes capitulum. (26 *nov.* 1763.) Inde resolvit in omnibus supplicationibus, etiam solemnibus, et funeribus explendis a presbyteris ecclesiæ S. Nicolai coadjutricis parochialis cathedralis servitio adscriptis, non tantum ab episcopo, sed etiam a capitulo unico parocho, quoad supplicationes tantum extra ambitum agendas, petenda est et obtinenda licentia. (*Ead. causa.*)

6° Potest episcopus in synodo diœcesana facere constitutiones absque consensu et approbatione cleri; debet tamen requirere consensum capituli, licet illum non teneatur sequi, nisi in casibus a jure expressis, etiamsi ex forma romani pontificalis in celebranda diœcesana et provinciali synodo expresse habeatur, ut constitutiones in synodo publicandæ a patribus per verbum *placet* confirmentur. (*Venetiarum*, 21 *apr.* 1592.)

7° Declaravit S. C. C. nullam requiri licentiam ad hoc ut canonici abesse possint in mensibus a C. Trid. permissis: censuit tamen hanc declarationem non vindicare sibi locum, quoties canonici licentiam esse obtinendam putant: cæterum episcopum non debere illam absque rationabili causa denegare. (9 *maii* 1628.) Episcopum posse edicere ne dignitates et canonici sine

ejus licentia abesse possint, decretum prodiit, *in Terracinen.* (19 *feb.* 1628.)

8° Episcopum non potuisse delationem fasciæ sericæ violacei coloris dignitatibus et canonicis concedere, declaratum fuit *in Liparen.* (10 *maii* 1831.)

9° Episcopus potest statuere ut unus saltem canonicus ex uno quoque capitulo ecclesiarum sibi subjectarum, et unus sacerdos ex unoquoque loco diœcesis intersit, dum ipse oleum sacrum conficit. (12 *jul.* 1631.)

10° Episcopus non potest auctoritate ordinaria creare in sua ecclesia canonicos supranumerarios absque consensu capituli et canonicorum. (26 *feb.* 1639.)

Nequit etiam privative a seipso canonicos ad honorem nominare, sed hoc agere debet consensu vel consilio capituli. (*S. Cong. concil.* 6 *julii* 1867.)

Potest episcopus de consensu capituli erigere præpositionem secundam dignitatem, et erigere canonicatum in ecclesia collegiata, in qua non est præfinitus canonicorum numerus.

11° Episcopus nequit auctoritate ordinaria ecclesiam parochialem in collegiatam erigere. (26 *feb.* 1689.)

Episcopus cogere nequit canonicos ecclesiæ cathedralis, penes quos cura animarum, tam habitualis tam actualis residet, ad exercendum per seipsos aliquos actus curæ intra annum. Nam ei electionem duorum capellanorum amovibilium pro dicto exercitio permissum fuerat. (24 *maii* 1710.)

III. EPISCOPUS QUOAD RESIDENTIAM.

Episcopum, etiam cardinalem, teneri de jure divino et naturali residere in suo episcopatu, et per residentiam in jure intelligi commorationem in loco beneficii sui, causa servitii ecclesiastici personaliter præstandi, et non solam præsentiam otiosam, est res omnibus nota.

Sunt tamen causæ excusantes quæ sunt episcopo communes cum aliis beneficiatis qui habent curam animarum : hæ sunt : 1° *Christiana charitas*, nempe quando urget proximi utilitas ;

2° *Urgens necessitas*, nempe si residendo grave periculum vitæ incurreret, vel propter morbum, aeris intemperiem, persecutiones, etc., dummodo ex tali absentia, Ecclesia nullum grave patiatur detrimentum ; secus non deberet gregem deserere : *Bonus pastor dat animam suam pro ovibus suis ;*

3° *Debita obedientia :* quando nempe summus Pontifex propter aliquod negotium ad se vocat episcopum.

4° *Evidens Ecclesiæ utilitas :* si episcopus abest ad defendenda ecclesiæ suæ jura, vel vocatus accedit ad concilium generale vel provinciale. Id etiam intelligitur de evidenti reipublicæ utilitate, v. g. si episcopus abesset pro negotiis regni tractandis, pro pace componenda. Hanc obligationem residendi explicant sequentes declarationes S. Cong. C. :

1° Episcopus temporibus præscriptis in c. 1, sess. 23, C. T. tenetur in ecclesia sua cathedrali residere, nec satis est ut in diœcesi maneat, nisi episcopalia munia in sua diœcesi cum alio vocent. (24 *sept.* 1622.)

2° Decere ut episcopus in solemnioribus anni festivitatibus apud suam cathedralem ecclesiam resideat ; ei tamen hac de causa procurationem non debere decidit S. C. C. 17 maii 1636.

3° Episcopo (Gurci) permittendum non esse ut præter tres menses a sacro Tridentino concilio præfixos, tribus aliis mensibus in quodam palatio a se cum aliis bonis empto, quodque est suæ diœcesis conterminum, in diœcesi situm episcopi Salisburgensis, habitare possit, resolutum fuit. (19 *feb.* 1718).

4° Episcopo Segnensi in Croatia præferenti se in-

firmitate et ægritudine corripi, quotiescumque diœcesim suam ingreditur, et addenti sanitatem, et vires aliter recuperare non posse, nisi e diœcesi egrediendo, et ad alios locos clementioris aeris se transferendo, concessum fuit abesse posse a residentia ad sex menses. (*Feb.* 1718.)

IV. EPISCOPUS QUOAD VISITATIONEM.

1° Consulta S. C. C. an pro generali visitatione diœcesis indicenda possit episcopus per se solum facere edicta generalia, vel potius adhibere debeat consilium seu capituli consensum? Pro visitatione diœcesis decreto c. 3 concil. T., s. 24, *De refor.*, demandata, posse episcopum per se solum facere edicta generalia absque consilio seu consensu capituli, censuit S. C. Oriolen. 26 mart. 1632.

2° Ad disquisitionem vocatur si episcopis non solum per seipsos, sed eorum in spiritualibus vicarios generales munus visitationis exercere permittendum esset, et quatenus in animum inducitur hoc eis tribui, an ab eis vicarii in id *speciali facultate in scriptis* suffulti esse debeant, de illaque prius per authentica documenta abbatibus superioribus, vel eorum officialibus et subditis *dimisso sibi illorum exemplo* de verbo ad verbum cum originali collato, fidem facere teneantur, et donec istud fecerent, *eos admittere ad visitandum recusare* licite possint? Rescribetur posse, nisi expresse prohibitum sit, et quoad vicarios opus esse speciali in scriptis facultate, deque in hujusmodi fidem faciendam esse. (*Feb.* 1588.)

3° S. C. C. (23 *aug.* 1727, *et dec.* 1584) declaravit episcopum curare debere, ut quanto citius se expediat a sancta visitatione ad formam conc. Trid., ne videlicet gravis iis quos visitaverit, existat.

4° Requiritur utrum visitatio ecclesiæ cathedralis et

personarum illius valeat impediri vel retardari interposita appellatione, si non docetur de aliqua particulari exemptione? Decrevit S. C. C. a visitatione ecclesiæ cathedralis et personarum ipsius ab episcopo facienda non admitti appellationem ad effectum suspensivum, nec ideo illam appellationem impedimentum inferre potestate valere. (*Oriolen.* 27 *mart.* 1632.)

5° Episcopus debet quotannis propriam diœcesim (*Bajonen.*) per seipsum, aut si legitime impeditus fuerit, per suum vicarium generalem, aut visitatorem idoneum invisere, et si quolibet anno totam visitare non possit saltem majorem illius partem, ita ut tota biennio visitatio absolvatur. (14 *nov.* 1654.)

6° Episcopus potest visitare, et ex rationabili causa indultum oratorii privati in sua diœcesi a Pont. M. concessum cum clausula (duraturum ad beneplacitum episcopi), quamvis ab antecessore dictum beneplacitum perpetuum sit declaratum, revocare.

7° Denuntiatæ per episcopum visitationi personali sese subjicere nonnulli ex canonicis aliique de clero recusarunt. Hos episcopus indutus cappa magna frustra per plures horas expectavit. Et interim illi S. C. C. adierunt, quæ capitulum non valere defugere personalem visitationem ab episcopo indictam sub pœnis etiam censurarum statuit. (*Aprutina*, 18 *julii* 1705.)

8° Nequit episcopus, nec archidiaconus, nec alius in visitatione aliquos clericos deponere vel beneficiis privare, nec pœnas ordinarias imponere, sed eos tantum, quæ morum emendationem et correctionem respiciunt. (*Dertusen.* 2 *aug.* 1605.)

9° In generali visitatione episcopus solus sine adjunctis conjudicibus procedere potest contra canonicos, eisque pœnam imponere extraordinariam quæ magis morum emendationem, quam punitionem res-

piciat (27 *martii* 1632); non autem extra visitationem, nec quando contra capitulares ad pœnas extraordinarias procederet. (*Const. Inn. : exponi.*) Tum requiritur consilium et assensus duorum capitularium. (*Vide Bened. XIV, De syn. diœc., l.* 13. *c.* 9.)

V. EPISCOPUS QUOAD PONTIFICALES FUNCTIONES ET PRÆCEDENTIAM.

1° Quoad episcopi pontificalia servanda est consuetudo cujusque ecclesiæ; deque consuetudine nisi constet, servandum est id quod præscribitur in pontificali, et non obstante quacumque consuetudine episcopo in pontificalibus celebranti tenentur canonici deservire pro diacono et subdiacono. (*Abulen.* 1582.)

Insuper episcopo missam pontificalem et alia pontificalia celebranti extra civitatem, etiam extra cathedralem ecclesiam, teneri eosdem assistere et inservire, qui solent eidem exercenti pontificalia in cathedrali, resolvitur. (*Ibid.*)

Non quoties episcopus ad ecclesiam accedit, dignitates et canonici eum ex palatio excipere et comitare ac reducere tenentur, sed in solemnibus tantum diebus, quando ad ecclesiam cum cappa ad celebrandum vel pontificalia exercendum accedit. (*S. C. Rit.* 23 *jul.* 1667.)

Episcopo vero *privatim* venienti, id est *sine cappa*, nonnulli ex dignitatibus et canonicis ad ostium ecclesiæ occurrere, et in reditu similiter usque ad ostium ecclesiæ ipsum comitare debent. (*S. C. Rit.* 4 *aug.* 1663.)

Quando episcopus, finita missa, est ab ecclesia discessurus, tantisper cessandum est a reliquis horis decantandis, quousque capitulares abeuntem episcopum reducere possint. (*S. C. Rit.* 19 *april.* 1698.)

Tam in associatione episcopi quam in processione debetur præcedentia et locus dignior prope episcopo canonicis cathedr. (*Ead. Cong.* 21 *jan.* 1741.)

2° Episcopus aliquis conferebat ordinationes generales ut plurimum in quadam capella sui palatii, et si quando illas in cathedrali conferebat, id in capella remota et obscura, nulla præcedente denuntiatione, nec vocatis aliquibus canonicis facit, contra formam cap. 8, § *Ordinationes*, sess. 23, *de Ref.* Hinc S. C. consulta respondit ordinationes sacrorum ordinum in cathedrali ecclesia, vocatis præsentibusque ad id Ecclesiæ canonicis publice celebrari debere (febr. 1588); et in altari majori, nisi adsit rationabilis causa, episcopi arbitrio judicanda (19 junii 1728).

3° Proponitur dubium an potuerit episcopus (Tucumanensis) consecrare episcopum (Paraguariensem) assistentibus duobus canonicis absque eo quod illi exhibitum fuerit breve pontificii indulti, sed sub eo tantum prætextu et suppositione, quod summus Pontifex circa numerum episcoporum solitus sit dispensare, quando in Indiis consecrantur episcopi? S. C., post longam discussionem, quum ageretur de re satis ardua et mutuo conflictu inter canonistas et theologos agitata, ut ea quæ par est, maturitate adhuc magis examinetur, unanimi consensu resolutionem differendam censuit. — Paraguariensi (in Indiis occidentalibus) 1 sept. 1657.

4° Extraneus episcopus ad ecclesias et sacra vasa consecranda et campanas benedicendas, aliaque pontificalia munia obeundo accersiri nequit ab exemptis, nisi separatum territorium habentes, nullius etiam diœcesis esse comperiantur. (16 sept. 1662.)

5° Ad petitionem : an episcopus in Monialium et S. Oleorum consecratione podagræ morbo affectus et ad operandum prorsus inhabilis, per vicarium seu dignitates missam celebrari, ipse sedens et legendo formam consecrationis solemniis vacare liceat? S. C.

Rit. respondit : Episcopus omnino abstineat, quatenus non possit servata forma ad præscriptum rubricorum hujusmodi vel similia implere. (2 julii 1661.)

6° Episcopum diœcesanum in *sua ecclesia cathedrali et diœcesi* in consecrationibus et in omnibus aliis functionibus et actibus pontificalibus exercendis, præferendum esse omnibus aliis archiepiscopis et episcopis etiam promotione ipso diœcesano anterioribus, metropolitano proprio tantum excepto; licet alias episcopus diœcesanus teneatur episcopos advenas et peregrinos in sua diœcesi honorare et ex urbanitate dexteram et locum digniorem eis cedere. (10 jan. 1609.)

7° Circa præcedentiam inter episcopos nulla alia ratio est habenda nisi temporis electionis seu promotionis ad episcopatum, ita ut qui prius electus seu promotus et a S. Pontifice in consistorio propositus et confirmatus sit, debeat alteri cujuscumque dignitatis vel qualitatis postea electo, proposito et confirmato, præcedere. (S. C. Rit. 21 mart. 1609.) Attendendum est ad tempus *promotionis*, non autem ad tempus *consecrationis*. (20 nov. 1677.) Ad archiepiscopum uti archiepiscopum majoritate gradus supra episcopum præcedentia spectat. (Ead. C. 19 jan. 1656.)

Archiepiscopo (et episcopo : 13 *jul.* 1658) titulari æque ac de residentia prælatio et obsequia debentur. (1 *dec.* 1657.)

8° Ratione episcopatus episcopus potest et debet uti habitu ordinario, quo utuntur episcopi in curia romana, id est rochetto supra subtanam et mantelleto violacei coloris, et debet præcedere omnibus aliis canonicis ejusdem ecclesiæ, et sedere in primo stallo supra omnes, ut fit et servatur Romæ, simili casu eveniente, in tribus ecclesiis patriarchalibus S. Joannis, S. Petri et S. Mariæ Majoris. (15 jul. 1617.)

An episcopo uti archidiacono et canonico alicujus ecclesiæ metropolitanæ liceat ingredi chorum et capitulum cum superpelliceo et habitu canonicali?

S. C. Rit. respondit : Teneri incedere cum habitu episcopali. (24 novemb. 1703.)

ARTICULUS II.

DE VICARII GENERALIS JURIBUS ET OFFICIIS (1).

I. DE GENERALI MANDATO VICARII GENERALIS.

Vicarius generalis, ad hoc ut suum munus plene et libere exercere possit, debet ab episcopo constitui in spiritualibus et temporalibus, nec sufficit si constituatur in spiritualibus tantum vel temporalibus, quia sub tali forma verborum non esset rigorose vicarius generalis.

Et ratio est quia Ecclesia habet et spiritualia et temporalia, adeoque debent in forma vicariatus ambo exprimi.

In generali vicarii constitutione conceduntur tantum quæ in generali mandato continentur, etiamsi adesset clausula : « Dantes et concedentes ei plenam et liberam potestatem. »

Quoad ea quæ concernunt vicarii generalis constitutionem, hæc sunt notanda :

1° Vicarium generalem constituere potest episcopus sine consensu vel consilio capituli. Regularis non potest esse vic. gen. (S. Cong. episc. et reg. 15 jan. 1597.) Vicarius episcopi, vel sede vacante, non potest esse parochus habens curam animarum (S. Cong. conc. 12 maii 1629); nec professor vel superior in aliquo semi-

(1) Totus ille art. ex L. Ferraris bibliotheca depromptus est, additis nonnullis declarationibus Sac. Cong. rom.

nario, nec nepos vel filius fratris episcopi (S. Cong. ep. et reg. 19 sept. 1577); nec frater, præsertim si non est doctor (S. Cong. ep. 2 dec. 1578); debet esse licentiatus vel doctor in jure canonico (S. Cong. ep. et reg. 6 oct. 1645, et sæpissime postea).

Pœnitentiarius non potest esse vicarius generalis, ne suspicionem ingerat, quod in administratione justitiæ utatur scientia confessionis. (S. Cong. ep. 22 jan. 1611.)

2° Vicarius generalis etiam sine speciali mandato potest confirmare electos et instituere præsentatos ad juspatronatus. (Rota et Sacra Cong., apud Barbos.)

3° Vicarius generalis sine speciali mandato potest monitoria sub pœna excommunicationis ad finem revelationis pro rebus deperditis, seu substractis concedere : sic pluries declarasse Sacr. Cong. conc. refert Garcias.

4° Vicarius generalis, absente episcopo, processiones indicere et dirigere potest cum consensu capituli. (Sacr. Cong. conc., apud Barbos.)

5° Item potest exsequi commissiones et litteras apostolicas quæ prius directæ fuerant vicario capitulari, non adhuc executæ. (Sacr. Cong. epis., in Parmen, 6 aug. 1614.) Item potest esse delegatus Papæ et executor gratiarum apostolicarum, qui est in dignitate constitutus.

Item potest ex vi mandati generalis confessiones sacramentales audire, aliisque eas audiendi facultatem concedere. (Barbos, supra conc. Trid., sess. 23, *de Reform.*, cap. 15.)

6° Item potest ex proprio officio absque speciali commissione interesse matrimoniis et aliis sacerdotibus assistendis licentiam concedere ; vicarius enim generalis venit appellatione ordinarii.

Et id potest vicarius generalis etiamsi sit tantum clericus, et non sacerdos. Et ratio nostra est, quia adversarii defendunt contrarium ex eo tantum fundamento quod non sufficit in contrahendo matrimonio præsentia parochi qui non sit sacerdos; hoc autem est falsum, cum Sacr. Cong. conc. in Abulensi, 12 mart. 1593, expresse declaraverit quod parochus valide et licite assistit matrimonio etiamsi nondum sit sacerdos, etc. Tum quia eadem Sacr. Cong., conc. 4 julii 1602, declaravit quod matrimonium contrahi potest valide non solum coram sacerdote habente facultatem a vicario generali, sed coram vicario generali, et perinde ac coram parocho. Unde, cum ex alio adducto decreto parochus valide et licite assistat matrimonio etiamsi nondum sit sacerdos, id etiam dicendum venit de vicario generali nondum sacerdote.

Licentia tamen assistendi matrimonio non potest ab ipso vicario generali, sicuti nec a parocho, concedi alieni qui non sit sacerdos (conc. Trid., sess. 24, *de Ref. matr. c.*, ubi expresse requirit ut delegandus sit sacerdos, ibi); « vel alio sacerdote. »

7° Vicarius generalis archiepiscopi, ipso archiepiscopo absente et a sua provincia distante, potest, interveniente justa aliqua et gravi causa, episcopos suffraganeos suspendere, interdicere et excommunicare.

II. DE CAUSIS IN QUIBUS REQUIRITUR MANDATUM SPECIALE.

1° Non potest vicarius generalis, etiamsi fuerit episcopus, ex generali commissione sine speciali mandato episcopi exercere ea quæ sunt ordinis episcopalis, ut consecrare ecclesias et altaria, chrisma et oleum sanctum conficere, sacramentum confirmationis et ordinis conferre, calices consecrare, et alia hujusmodi. Item non potest sine speciali mandato synodum congregare.

(Sac. Cong. conc. 1 aug. 1618.) Nec potest suo arbitrio constitutiones synodales mutare. (Sac. Cong. Rit. 25 febr. 1606.)

2° Item non potest sine speciali mandato diœcesim visitare, quia visitatio videtur tantum episcopis reservata, qui per se ipos visitare tenentur singulis annis, et ipsis legitime impeditis, per suos vicarios. (Conc. Trid., sess. 7, *de Reform.*, cap. 8, et sess. 24, *de Reform.*, cap. 3.)

Item non potest sine speciali mandato exigere cathedraticum seu synodaticum quod episcopis debetur ratione subjectionis. Nequit etiam sine speciali mandato imponere et exigere charitativum subsidium.

3° Item sine speciali commissione nequit beneficia conferre. Neque potest, sine speciali mandato, designationes et permutationes beneficiorum admittere et approbare. Imo, etiamsi vicarius habeat speciale mandatum ad recipiendas resignationes beneficiorum, adhuc non potest conferre beneficia coram ipso resignata sine speciali mandato ad conferendum. (Rota.) Neque potest, sine speciali mandato, beneficia unire, neque uniones revocare aut ecclesias dividere. Neque potest absque speciali mandato beneficia erigere, aut jurispatronatus fundationi consensum præstare, aut beneficia supprimere;

Neque novas parochias erigere nec alia beneficia creare, in creatione novæ dignitatis auctoritatem præstare. (Rota, in Segobien. Capellaniæ, 28 aprilis 1625.)

4° Neque potest sine speciali mandato imponere pensionem super beneficiis, ubi episcopus ob aliquam justam causam, v. gr. pro bono pacis et concordiæ, posset.

5° Neque potest absque speciali mandato coadjuto-

rem vicarium rectori imperito deputare, secundum formam Sac. Cong. Trid. (sess. 22, *de Reform.*, cap. 6). Neque etiam potest absque speciali commissione œconomum ecclesiæ constituere.

6° Neque potest absque commissione aliquem ab ordine deponere aut amovere a suo beneficio, officio vel administratione.

7° Neque potest sine speciali commissione ecclesias dirutas et vetustate collapsas, quæ ob illarum et parochianorum inopiam nequeunt restaurari, in matrices erigere, vel in alias viciniores ecclesias transferre; neque mutare statum alicujus ecclesiæ, etiam in casibus in quibus potest episcopus; neque res ecclesiæ, aut in alienationibus seu transactionibus earumdem rerum decretum interponere; neque concedere licentiam ædificandi nova monasteria et conventus in loco suæ diœcesis, ex eo quia est de majoribus. (Sacr. Cong. conc. 11 jul. 1620.)

8° Præter auctoritatem delegatam episcopi, debet vicarius generalis pro benedicendis paramentis sacris obtinere licentiam sacræ congregationis Rituum. (S. C. Rit. 6 febr. 1627.)

9° Neque potest sine speciali commissione remittere denuntiationes matrimoniales. (Sac. Cong. conc., apud Barbos.) Contrarium tamen cum pluribus defendit Ventriglia asserens quod verior et magis communis opinio sit, quod id possit sine speciali mandato.

Neque pro matrimonialium dispensatione potest quidquam quamvis minimum et sponte datum accipere. (Sac. Cong. episc. et reg. in Surrentina, 22 aprilis 1616.)

10° Neque potest sine speciali commissione interdicta relaxare, sive ab homine, sive a jure sint.

Neque dimissorias seu commendatitias litteras pro recipiendis ordinibus subditis concedere, nisi episcopo ita absente et in remotis agente, ut nonnisi post longum tempus adventus ejus speretur.

Neque absolvere a casibus episcopo reservatis, cum id non veniat in generali commissione; neque dispensare in irregularitatibus, et absolvere a suspensionibus ex delicto occulto provenientibus ac ab aliis casibus occultis sedi apostolicæ reservatis sicut potest episcopus in vim. (Concil. Trid., sess. 24, *de Reform.*, cap. 6.)

11° Neque sine speciali mandato cognoscere potest de crimine hæresis. Imo neque de licentia episcopi potest absolvere subditos in foro conscientiæ a crimine hæresis, quia hoc competit solis episcopis vigore concessionis conc. Trid. (sess. 24, *de Reform.*, cap. 6).

12° Neque voluntatem puellæ habitum regularem suscipere aut professionis votum emittere volentis explorare potest, ut experiatur an coacta, an seducta sit, et an sciat quid agat, et cætera juxta dispositionem (conc. Trid., sess. 25, *de Regular.*, cap. 17); nisi ad hæc sit specialiter deputatus, vel episcopus sit absens aut legitime impeditus.

13° Neque cognoscere potest de causa delegata episcopo, nisi in rescripto addita sint verba : Sive ejus generali vicario.

14° Neque sine speciali mandato potest auctorare exemplum ex originali sumptum, ut eamdem vim et auctoritatem cum originali habeat.

15° Neque sine speciali mandato potest condemnatum reum absolvere. Sive, ut dicitur, non potest gratiam facere et indulgere delinquentibus, nam id sapit liberalitatem, et non venit in generali mandato.

Ad dignoscendum autem pro quibusnam causis an habeat, vel non, speciale mandatum, debet diligenter

inspici et attendi forma vicariatus, seu instrumentum commissionis quo quis institutus fuit vicarius generalis ubi, si habeatur solita apponi clausula generalis : « Ad omnia et singula faciendi et omittendi, etiamsi majora fuerint, et quæ mandatum exigant speciale prout ad ipsius vicariatus et officiatus officium noscitur quomodolibet pertinere, » etc.; tunc, si episcopus antea concessit vel expressit aliquos casus speciale mandatum requirentes, adjecta post modum dicta clausula, poterit vicarius etiam alia facere quæ requirunt speciale mandatum, dummodo non sint graviora vel majora expressis, prout in simili habetur decisum quoad procuratores.

III. VICARIUS GENERALIS QUOAD RITUS ET INSIGNIA.

1° Non potest quando celebrat habere duos capellanos sive clericos, qui illi cum cottis inserviant (sacr. congr. Rit. 7 aug. 1627); neque in altari quatuor candelas accensas tenere, nisi hoc fieret in illo altari propter solemnitatem diei festi. (Ead. sacr. congr. Rit. 7 aug. 1627.) Neque potest facere circulum in missa solemni ante episcopum cum canonicis ad *Gloria*, *Credo*, et *Sanctus*, etc. (Sac. cong. Rit., in Macerat., 28 sept. 1530.)

Neque potest baldaquinum erigere, absente episcopo, in ecclesiis exemptis, invitis monachis. (Sacr. Rit. congr., in causa congregationis Casinensis, 10 jul. 1621.)

2° Neque potest, absente vel impedito episcopo, facere functiones episcopales, sed spectat facere ad primam dignitatem capituli, et successive ad alios. (Sacr. Rit. cong. in Algaren. et Brundusina 20 decembris 1661, et in alia Brundusina 5 febr. 1614, et in Alatrina 22 januar. 1618.)

3° Neque potest sumere paramenta de altari, quia hoc facere solis episcopis permittitur (eadem sacr. Rit. cong. 7 jul. 1612); nisi propter necessitatem ob loci angustiam id faciat, uti alii sacerdotes in simili casu faciunt, et tunc ipsa paramenta, non in medio altari, sed in cornu evangelii sumere debet, ut declaravit eadem Sac. Rit. cong. de die 7 jul. 1612.

4° Nec potest uti vicarius generalis missas conventuales aut pontificales celebrare, nec S. S. Sacramentum aut sacras reliquias paratus deferre, nec aliis se immiscere functionibus ecclesiasticis, sed tantum præesse ut omnia suo ordine fiant. (Sac. Cong. episc. 19 sept. 1627, apud Barbos.)

5° Neque potest vicarius generalis uti annulo tempore quo celebrat, licet sit protonotarius apostolicus non participans (sac. Rit. cong. 11 febr. 1623), et multo minus, si sit canonicus cathedralis. (Ead. sacr. Rit. cong. 29 nov. 1629.)

6° Nec potest prohibere canonicis, ne officium inchoetur, donec ipse veniat, quia statim dato signo est inchoandum (sac. Rit. cong. 25 febr. 1606); neque prætendere, ut ipsi missam solemnem celebranti cantanti, assistant canonici, et faciant circulum ante ipsum. (Sac. Rit. cong. 8 mart. 1595.)

Neque potest dare benedictionem diacono, antequam cantet evangelium, neque benedicere prædicatori, antequam pulpitum ascendat. (Sac. Rit. cong., in Pacen., 17 mart. 1607, apud Pellegr. et Barbos.)

7° Neque potest impedire quod parochi denuntiationes faciant absque sua licentia. (Sacr. Cong. conc. 27 mart. 1617, apud Barbos.)

8° Neque potest intervenire capitulo, si sit exemptum (Sacr. Cong. conc., apud Barbos); vel si nolint canonici (eadem Sacr. Cong. conc. in Amerien., 24 april. 1632).

Imo neque absente episcopo, potest in capitulo intervenire. (Eadem Sac. Cong. conc., apud Barbos.) Et si sit de capitulo, debet inde exire, ubi tractandum fuerit de rebus ad suum, vel episcopi commodum pertinentibus. (Sac. Cong. epis. et regul. 17 jun. 1584.)

9° Neque potest concedere licentiam alteri episcopo exercendi pontificalia in sua diœcesi, nisi habeat ad id speciale mandatum. (Sac. Cong. conc., apud Barbos.)

10° Habitus vicarii generalis est subtana cum mantello, talari et bireto; et vicarius non protonatarius nullo modo potest uti subtana cum cauda et mantelletto. (S. C. Rit. 2 dec. 1690.)

Vicarius generalis, si non adest justa causa et demeritum, non est removendus per archiepiscopum ab officio. (Sacr. cong. Immuni. in Brundusina, 7 jun. 1633.) Quando vero vicarius generalis est scandalosus, injungitur episcopo ut ipsum removeat. (Sac. cong. Imm. in Acesenen., 1 oct. 1659.)

IV. VICARIUS GENERALIS QUOAD EA QUÆ CONCERNUNT LOCUM, PRÆCEDENTIAM.

1° Locus vicarii generalis debet esse secundum consuetudinem Ecclesiæ, quæ non est mutanda. (Sac. cong. Rit. in Alexandrin., 15 mart. 1668.) Vicarius generalis non potest sedem arbitrio suo sibi parare, sed debet sedere in sede solita provicario assignata. (Sac. Rit. cong. in Neritonen., 4 maii 1606.)

2° Vicarius generalis, licet sedeat in primo stallo chori, in quo sedere debet prima dignitas, et habeat thuris et pacis honorem ante omnes dignitates et canonicas, non propterea dicitur occupare stallum, sive locum dignitatum et canonicorum. (Sac. cong. Rit. in Placentina, 19 maii 1607.)

3° Vicario generali non licet occupare locum epis-

copi absentis, nec parare sibi sedem cum tapetis et pulvino; sed idem debet esse ejus locus, absente episcopo, quem illo præsente habere consuevit. (Sac. cong. Rit. in Brindusin., 16 jul. 1605.)

4° Vicarius generalis præcedit capitulo et clero. (Sac. cong. Rit. in Meliten., 15 jul. 1619) (1).

5° Vicarius generalis, absente episcopo, debet habere primum locum super omnes dignitates et canonicos, non obstantibus consuetudinibus, aliisque in contrarium. (Sac. cong. Rit. in Adrien., 7 aug. 1610; in Ferrarien., 20 dec. 1614.)

Vicario generali habitu vicarii in processionibus incedenti danda est præcedentia super omnes dignitates et canonicos, et etiam super illas dignitates et canonicos, qui habitu protonotarii incedunt. (Sac. cong. Rit. in Brundusina, 16 jul. 1605.)

Vicarius generalis debet præcedere omnibus canonicis, tam in processionibus quam in sessionibus, dummodo canonici non incedant parati. (Sac. cong. Rit. in Egitanien., 3 aug. 1602; et in civit. Pinnæ, 12 apr. 1603; et in Tiburtin., 6 mart. 1515.)

6° Vicarius generalis canonicus, cum sedet uti canonicus, debet sedere in loco suæ receptionis, et in

(1) De præcedentia vicarii generalis non conveniunt doctores. Et quod notandum est, quisque pro sua opinione resolutiones allegat sacrarum congregationum. Id ex eo evenit quod in obscuro est, an quæ allegatur resolutio, eo innixa sit nudæ juris dispositioni, an peculiari illius ecclesiæ consuetudini. Unde generatim dici potest quod vicarius generalis in iis actibus præcedentiam obtinere debeat super ipsas dignitates ecclesiasticas, in quibus uti vicarius generalis intervenit. Cæterum si res sit in actibus, in quibus ita non intervenit, nulla ipsi præcedentia debetur. Atque hinc quod si vicarius generalis sit canonicus, et divinis officiis uti canonicus interveniat, nullam obtinet præcedentiam ratione muneris vicarii generalis.

habitu canonicali; si vero velit præcedere uti vicarius, debet habitum canonicalem dimittere. (Sac. cong. Rit. in Compostellana, 4 febr. 1600; et in Vulturari, 11 apr. 1601.)

Vicarius generalis in habitu suo ordinario non debet incedere inter canonicos paratos nec eis præcedere. (Sac. Rit. cong. in Camerinus, 4 jun. 1608; et in Casalen., 5 jul. 1614.)

7° Vicarius generalis debet habere primum locum ante capitulum, canonicos et dignitates, tam præsente quam absente episcopo; si autem sit canonicus, debet sedere in proprio stallo et cum habitu canonicali, alias non lucratur distributiones quotidianas. (Sac. cong. Rit. in Egitaniens., 10 dec. 1601; et in Sutrina, 1 oct. 1616; et in Oritana, 5 apr. 1620; et in Gallipolen., 21 dec. 1613.)

8° Vicarius generalis præfertur archidiacono et omnibus canonicis, nisi ipse simul sit canonicus, qui tunc sedere debet in suo stallo canonicali, si distributiones quotidianas lucrari velit. (Sac. cong. Rit. in Nolana, 8 jul. 1602; et in civitatis Pinnæ, 12 apr. 1603; et in Compostellana, 14 febr. 1604; et in causa Caudiæ, 7 aug. 1610.)

Vicarius generalis canonicus, præsente præposito suo principali, et in omnibus actibus capitularibus, et quandocumque distributiones quotidianas lucratur, debet stare vel sedere, et incedere in suo loco canonicali; absente vero præposito, tanquam vicarius generalis in primo et digniori loco. (Sac. cong. Rit. in Altinen. Nullius 4 mart. 1606.)

9° Vicarius generalis canonicus, sive beneficiatus, debet sedere in loco suæ receptionis, et cum habitu canonicali sive beneficiati, ut lucretur distributiones, et quando vult præcedere canonicis seu beneficiatis,

debet habitum canonicalem, seu beneficiati dimittere et non potest percipere distributiones. (Sac. cong. Rit. in Calaguritana, 1 aug. 1603.) Nec lucratur distributiones quæ dantur interessentibus processionibus, nisi incedat in habitu canonicali. (Sac. cong. Rit. in Compost., 21 febr. 1604 ; et in Brundusina, 15 jul. 1607.)

Vicarius generalis, licet etiam ipso episcopo præsente in ecclesia, choro, processionibus, synodo, et aliis publicis et privatis actibus, canonicis et dignitatibus præcedere debeat, tamen hoc intelligitur quoties canonici et dignitates hujusmodi in habitu canonicali, etiamsi cappa et rochetto utantur, stare aut incedere consueverunt, non autem si pluviali, planetis aut aliis sacris paramentis juxta cujusquam ordinis gradum sint induti, prout in distributione candelarum in die Purificationis, et in receptione cinerum feria quarta cinerum, et similibus diebus, quibus episcopus solemniter celebrare ex ritu ecclesiastico teneatur : tunc enim non decet ut vicarius, præsertim si in suo quotidiano habitu existat eisdem sacris vestibus paratis, sive stando, sive incedendo præcedat. (Sac. cong. Rit. in Lauretana et Nolanen., 23 mart. 1602, et 6 sept. 1610; et in Metropol., 7 aug. 1628.)

10° Vicarius generalis licet præcedat omnibus dignitatibus et canonicis, tamen ratione paramentorum in distributione candelarum et palmarum non debet habere locum digniorem quam canonici parati ; in adoratione vera crucis et quandocumque canonici non sunt parati, digniorem locum habet immediate post celebrantem, et similiter thurificandus est ante canonicos nisi sint parati, quia tunc post canonicos est thurificandus. (Sac. cong. Rit. in Placentina, 19 mart. 1607; et in Alexand., 25 mart. 1608.) Et quod in adoratione crucis præferendus sit vicarius generalis ante

dignitates et canonicos, censuit eadem sac. cong. Rit. in causa S. Marci, 4 maii 1633.

Vicarius generalis non præcedit dignitatibus et canonicis paratis, consuetudine in contrarium non obstante. (Sac. cong. Rit. in Lauret., 6 sept. 1603; et in Casalen., 2 jul. 1614; et in Castellanet., 25 sept. 1621.)

Vicario generali præcedunt canonici sacris vestibus induti, qui assistunt episcopo celebranti. (Sac. cong. Rit. in Nepesina, 27 febr. 1610.)

11° Vicarius generalis canonicus in funeralibus debet cum canonicis in suo loco incedere, alias non lucratur ceram, nec distributiones. (Sac. cong. Rit. in Nicien., 20 maii 1604.)

12° Vicarius generalis, præsente episcopo in die Purificationis, non debet accipere candelam ante canonicum vel dignitatem qui episcopo ministravit. (Sac. cong. Rit. in Lucerina, 14 maii 1600.)

13° Vicarius generalis non est prælatus, licet absente episcopo, cum in suo habitu ordinario cum subtana, et mantelletto nigro sedeat in choro, in primo loco supra canonicos, thurificandus est duplici, non autem triplici ductu thuribuli. (Sac. cong. Rit. in Nepesina, 15 jan. 1627.)

Vicarius generalis thurificandus est et debet accipere candelam, palmam et cineres, et adorare crucem ante vel post capitulum juxta ecclesiæ consuetudinem. (Sac. cong. Rit. in Neocastren., 16 jan. 1607; et in Alexand., 15 mart. 1608.)

V. DE EXPIRATIONE JURISDICTIONIS VICARII GENERALIS.

1° Vicarii generalis jurisdictio exspirat : 1° per propriam ipsius renuntiationem expressam, vel saltem tacitam, ut si vicarius diœcesim sui vicariatus egrediatur et in longinqua abeat animo non amplius rever-

tendi, tunc enim tacite renuntiasse censetur. (Communis.)

2° Exspirat ejus jurisdictio per remotionem seu revocationem ipsius ab episcopo factam : episcopus enim potest ad sui libitum, quotiescumque voluerit, vicarium generalem amovere.

In tali tamen remotione est semper habenda ratio honoris ipsius : unde facienda est cum magna circumspectione, et cum gravi et justa causa, alias reintegrari potest per sacram congregationem episcoporum. (Sic ead. Sac. Cong. episcop. in Spalaten., 3 jul. 1610; et in Tragurien., 7 sept. et 8 oct. 1649.)

Causæ autem justæ, pro quibus removeri potest vicarius generalis, sunt præsertim sequentes : prima est, si de vicario audiantur multæ querelæ. (Sac. Cong. epis. in Spalaten., 5 febr. 1601.)

Secunda est, quando non bene regit et gubernat, nec certiorem facit sacram congregationem de causis magni momenti in defectu vel absentia episcopi. (Sac. Cong. episc. in Agrigent. et in Tranen., 3 dec. 1601.)

Tertia, si scribat irreverenter ad sacram congregationem ejusque DD. officiales. (Sac. Cong. epis. in Reat., 3 sept. 1601.)

Quarta, si aliquem ex S. R. E. cardinalibus ea quæ decet, reverentia non tractet. (Sac. Cong. episc. in Savon., 19 nov. 1655.)

Quinta, si caveat circumspectione et prudentia, licet in reliquis idoneus esset. (Sac. Cong. episc. in Placent., 11 sept. 1601.)

Sexta, si excommunicatus existat. (Sac. Cong. epis. in Plac., 18 jun. 1649.)

Septima, si mandatis sacræ congregationis obedire renuat. (Sac. Cong. episc. in Parmen., 17 aug. 1649.)

Octava, si oriundus fuerit ex eadem civitate, vel

diœcesi. (Sac. Cong. epis. in Ostunen., 28 jul. 1587; in Spalaten., 9 mart. 1593; in Senogall., 10 febr. 1598; in Pistorien., 19 oct. 1625; et in Futrina, 16 nov. 1640.)

Nona, si sit regularis. (Sac. Cong. epis. in Justinopol., 16 oct. 1616; et in Spalaten., 12 apr. 1619.)

3° Exspirat etiam vicarii generalis jurisdictio per mortem naturalem episcopi; vicarius enim eamdem habet jurisdictionem cum episcopo, idemque tribunal, adeoque cessante per mortem naturalem jurisdictione episcopi, cessat etiam illa vicarii generalis, quia « accessorium naturam sequi congruit principalis. »

Valent tamen gesta a vicario ignorante mortem episcopi longe distantis; si etiam talis mors ignoretur communiter ab aliis, quia error communis dat jurisdictionem.

4° Exspirat jurisdictio vicarii generalis per translationem episcopi ad alium episcopatum; cum enim per translationem ad alium episcopatum cesset episcopi jurisdictio in primo episcopatu, ita etiam cessat jurisdictio ipsius vicarii generalis.

5° Exspirat per depositionem vel relegationem episcopi. Tunc enim vacat ecclesia, et eligi debet vicarius capitularis, adeoque cessat jurisdictio vicarii generalis.

6° Exspirat jurisdictio vicarii generalis per renuntiationem episcopatus factam ab episcopo et a Papa admissam, quia etiam in tali casu elegi debet vicarius capitularis.

7° Exspirat per legitimum ingressum episcopi in aliquam religionem, et per captivitatem episcopi.

8° Exspirat jurisdictio vicarii generalis, suspensa episcopi jurisdictione per excommunicationem, suspensionem aut interdictum; cum enim eadem sit jurisdictio idemque tribunal vicarii et episcopi. De appellatio-

nibus, in 6, cum similibus, cessante seu suspensa jurisdictione episcopi, cessat et remanet suspensa etiam jurisdictio ipsius vicarii generalis.

APPENDIX. — De differentiis vertentibus inter vicarium generalem et capitularem.

Prima differentia inter vicarium generalem et capitularem est quod vicarius capitularis debet esse doctor, si adsit, alias electio est nulla. (S. C. C. 13 julii 1669 et sæpenumero.) Vicarius vero generalis potest aliquando non esse doctor, maxime quando episcopus est jurista.

Secunda differentia est quod vicarius capitularis post electionem legitime factam non potest a capitulo ad libitum removeri. Vicarius autem generalis potest ad nutum et arbitrium amoveri, quandocumque illi placuerit.

Tertia differentia est quod vicarius capitularis non potest esse nisi unus tantum. Vicarius autem generalis potest esse non solum unus, sed et plures deputari possunt.

Quarta differentia est quod vicarius generalis potest constitui ab episcopo cum et sine limitatione, dando illi majorem vel minorem facultatem, prout sibi placuerit, ut tenet communis doctorum et docet praxis, patetque ex dictis. Vicarius vero capitularis non constituitur cum aliqua limitatione.

Quinta differentia est quod vicarius generalis possit esse quilibet exterus ad libitum episcopi; imo tenetur episcopus exterum eligere. Vicarius autem capitularis debet esse de gremio capituli, sit adsit idoneus.

Sexta differentia est quod vicarius generalis nequit exercere totam jurisdictionem episcopi absque spe-

ciali ejus mandato. Vicarius autem capitularis statim ac est legitime electus, totam jurisdictionem capituli exercere potest absque speciali ejus mandato, præsertim ubi talis viget praxis et consuetudo.

Septima differentia est quod vicarii capitularis jurisdictio incipit post mortem naturalem aut civilem episcopi. Econtra autem vicarii generalis jurisdictio per mortem naturalem aut civilem episcopi finitur.

Octava differentia est quod vicarius capitularis continuat suam jurisdictionem usquedum novus episcopus capiat realem possessionem episcopatus. Vicarius vero generalis non continuat eam usquedum novus episcopus capiat dictam possessionem realem episcopatus, sed solum usquedum translatio episcopi ad aliam ecclesiam admissa est in consistorio etiam ante captam a novo episcopo realem episcopatus possessionem, ut patet ex dictis.

Nona differentia est quod vicarius capitularis, si sit canonicus, lucratur fructus et distributiones, etiamsi choro non intersit, si ad id adsit consuetudo. Vicarius autem generalis, si sit canonicus, non lucratur distributiones nisi choro intersit, etiamsi ad id adsit consuetudo.

Decima differentia est quod vicarius capitularis nequit concedere licentiam erigendi nova monasteria et conventus. Vicarius autem generalis cum speciali mandato episcopi id potest. Quoad hoc tamen sunt hodie observandæ nonnullæ recentiores dispositiones apostolicæ.

Undecima differentia est quod vicarius generalis, finito officio vicariatus, non tenetur stare syndicatui, ut expressa declaratum fuit a Gregorio XIII, in quadam constitutione directa clero et communitati Tarentin., cujus præcisa verba refert Barbosa «........ » Et ratio est quia si ipsi erraverint, episcopi statim provi-

debunt, prout justum fuerit. (Sic cong. epis. in Tarent., 20 aug. 1601 ; et prius in Brundusina, 13 oct. 1592.) Vicarius autem capitularis, finito officio vicariatus, tenetur stare syndicatui et reddere rationem episcopo successori, etiamsi reddidisset illam capitulo, et ab eo, seu a deputatis vel syndicatoribus ipsius obtinuisset liberationem, juxta dispositionem con. Trid., sess. 24, *de Refor.*, cap. 16. Et sic Sac. Cong. con. 8 apr. 1595; etiam Sac. Cong. episc. in Catanen., 13 jan. 1600; et in Hydruntina, 19 maii 1623.

Duodecima differentia est quod vicarius generalis non potest absque speciali mandato cognoscere causas criminales, privare beneficio, etc., bene vero vicarius capitularis, quippe capitulum succedit in ordinaria jurisdictione espiscopi (DD. comm.)

ARTICULUS III.

DE CANONICORUM JURIBUS ET OFFICIIS.

I. CANONICATUS QUOAD COLLATIONEM, PROFESSIONEM FIDEI ET PRÆCEDENTIAM.

1° Collatio seu provisio canonicatuum in ecclesiis sive cathedralibus, sive collegiatis secularibus simultanee spectat ad episcopum et capitulum ; tamen consuetudine aut pacto episcopus solus privitive quoad capitulum, vel solum capitulum privative quoad episcopum acquirere potest facultatem conferendi canonicatus. (Rota, in pluribus decis.)

2° Canonici et dignitates ecclesiæ cathedralis tenentur, a die adeptæ possessionis ad minus intra duos menses, fidei professionem facere, adeo ut ad hoc non requiratur prævia monitio : qui omitterent hanc fidei professionem, fructuum omissionem incurrunt, præter peccatum. Hanc professionem facere tenentur non

solum coram episcopo, vel ejus vicario generali, sed etiam coram capitulo, et quidem per seipsos personaliter et non per procuratorem.

3° Canonici, qui emittere fidei professionem tenentur, et ultra præfinitum tempus bimestris eam elicere protelaverint, non privantur fructibus primi dicti bimestris, sed fructibus ex post decurrendis, nempe a die elapsi primi bimestris. (S. C. C. 11 maii 1782.)

4° Valida erectione canonicatuum a S. C. declarata, canonicos ab episcopo institutos habere stallum in choro, et aliis canonicis post eorum institutionem provisis præcedere, atque honoribus ac præeminentiis omnibus frui debere, quibus canonici antiquiores patiuntur, definitum est. (25 feb. 1617.)

5° Canonici ecclesiæ cathedralis in supplicationibus secundum ætatis prærogativam incedere debent, non autem consuetudo prætensa secundum sessionem in stallis incedendi est servanda. (9 feb. 1664.)

6° Canonicus ecclesiæ collegiatæ urbis Romæ dignior est canonico cathedralis alterius civitatis. (S. C. C., apud Monacell.) Canonici cathedralis omnibus aliis canonicis præcedunt. (Rota 13 feb. 1626.) Et canonicis cathedralis in ecclesia parochiali dignior locus debetur immediate post episcopum, et post sedere debet rector. (S. C. Rit. 14 febr. 1632.)

7° Canonicus prius factus debet præcedere aliis post ipsum admissis, etiamsi sint doctores. (S. C. Rit. 29 nov. 1603.) Et generatim canonici, quando omnes sunt presbyteri præcedunt inter se secundum suam receptionem. (S. C. Rit. 2 martii 1602.)

II. CANONICI QUOAD RESIDENTIAM ET SERVITIUM CHORI.

1° Episcopus ob non residentiam canonici Andreæ de..... illum canonicatu privavit edictis contra eum

latis, et examinatis nonnullis testibus super absentia, tantum non servata forma conc. Tridentini, s. 24, c. 12. S. Cong. C. censuit hujusmodi privationem non servata dicta forma esse nullam. (Martii 1587.) Hic ordo a C. Trid. præscriptus est ut primo anno absentes ultra tres menses priventur dimidia parte fructuum, quos ratione etiam præbendæ fecerunt suos, secundo anno, si eadem usi fuerint negligentia, priventur omnibus fructibus illius anni; ac demum crescente contumacia, ita ut etiam tertio anno residere neglexerint, privari possint et debeant ipso beneficio seu præbenda.

2° Quum quidam canonicus jam ab annis 7 residentiam suam deseruerit, atque servatis terminis a C. Trid. præscriptis, fructibus fuerit privatus, episcopus eum non posse exspoliari, quum esset canonicatus assignatus titulo patrimonii sacri quo fuit ordinatus, credidit. S. C. tamen locum esse privationi servatis de jure servandis sancivit. (30 maii 1665.)

3° Ad dubium : an, eo quod canonicus absens fuerit spatio plurium annorum, quibus elapsis fuerit tantum monitus, currat eidem terminus trium annorum a conc. Trid. indictus, vel sex mensium a die absentiæ, vel a die primæ monitionis? S. C. respondit : Incipere triennium a die absentiæ. (14 nov. 1671.)

4° An adversus canonicum non residentem procedi possit ad privationem post lapsum trium mensium et ultra tertii anni, vel expectandum quod præteriisset tertius annus integer ? S. C. respondit : Expectandum esse triennium completum. (21 maii 1672.)

Declaraverat S. C. nullam requiri licentiam ad hoc ut canonici possint abesse in mensibus a conc. Trid. permissis; sed hæc declaratio non vindicat sibi locum quoties canonici abesse volunt extra diœcesim, ac

proinde hoc casu episcopi licentiam esse obtinendam : cæterum episcopus non debet illum absque rationabili causa denegare. (9 maii 1626.)

5° S. Cong. C., interrogante episcopo Niciensi, sic respondit : Canonicos non legitime impeditos tempore quadragesimæ quotidianis concionibus interesse debere, et ideo episcopum decretum edere posse ut canonicis nequaquam liceat prædicto tempore ab ecclesia abesse, nisi de ipsius licentia. (18 nov. 1628.)

6° Censuit S. Cong. C. non posse capitulum absque licentia episcopi negotiorum capitularium prætextu cuiquam ex capitularibus aut aliis addictis servitio chori impertiri facultatem ab ecclesia abscedendi ultra tempus a concilio permissum. Sic vero abscedentes non solum distributiones quotidianas non lucri facere, sed etiam fructibus, nisi resideant, esse privandos ad ejusdem concilii præscriptum. (Cap. 12, sess. 24, 14 martii 1620.)

7° Ad constituendum servitium 9 mensium non esse colligendas punctaturas, quasi ii qui novem partes punctaturarum ex duodecim, quæ ex servitio totius anni conflantur, deserviendo tulerint, servitio 9 mensium satisfecerint ; sed ipsos dies residentiam et servitii, sive continui fuerint, sive interpolati, numerandos esse ut compleant numerum dictorum 9 mensium. (17 junii 1594.)

8° Ad dubium : an canonicus ecclesiæ cathedralis concionem habens diebus adventus et toto tempore quadragesimæ de mandato episcopi tam in cathedrali quam in diœcesi, teneatur solvere punctaturas, sicuti tenentur solvere canonici non præsentes choro ? Respondit affirmative. (10 sept. 1678.)

9° Canonici ecclesiæ cathedralis exire non valent e choro antequam sacra absolvantur, nisi per saluta-

tionem petita ab archidiacono licentia sub pœnis punctaturæ. (4 junii 1701.) Canonicus F..... passus est punctaturas ad formam constitutionum capitularium suæ ecclesiæ, qui abscessit a choro pro celebratione missæ absque obtenta præfecti licentia, sed tantum cum bona fide, prævia solita salutatione in discessu a choro juxta ecclesiæ consuetudinem. Hinc postulat punctaturarum restitutionem. S. C. ei non deberi dictam restitutionem resolvit. (17 sept. 1796.) Eadem est pœna contra fabulantes in choro, et eos qui officiis intersunt sine habitu canonicali. (S. Cong. episc. 7 sept. 1594.)

10° Canonico ecclesiæ cathedralis F....., qui morbo podagræ detentus statis horis choro interesse non potuit, et semper de capituli consensu distributiones quotidianas percepit, modo debentur ex decreto S. C. tam ordinariæ quam extraordinariæ, et quæcumque alia emolumenta et obventiones debitæ cæteris præsentibus canonicis, exceptis tantum iis quæ sive ex voluntate testatoris, sive ex statuto, sive ex consuetudine ecclesiæ tantum actu intervenientibus debentur. (18 dec. 1745.) Idem dicendum de aliis infirmitatibus quæ a celebratione divinorum officiorum excusant. Tamen canonico infirmo non debentur distributiones si dum erat sanus, non consueverat interesse divinis. (29 aug. 1628.)

11° Canonicos teneri omnino psallere, alioquin obligationi suæ non satisfacere resolvitur. (27 martii 1602.) Tamen ex legitimo impedimento debilitatis vocis excusantur alta voce psallere; sed nihilominus tenentur personaliter divinis interesse. (8 maii 1649.) Et dubio exposito ab episcopo : an canonicus qui solus in arte per totam diœcesim in cathedrali ecclesia tempore solemnium officiorum organum pulsat, et

aliquando etiam psalmos cantat alternative cum aliis canonicis in choro existentibus, punctaturis subjaceat, ac si non intersit? Responsum negativum prodiit, dummodo non habeat salarium. (11 julii 1651.)

III. QUOAD FRUCTUS ET DISTRIBUTIONES SPECIATIM.

1° Quum quandoque in cathedralibus essent aliqui canonici, qui in iisdem habent capellanias vel in titulum, vel tanquam mercenarii, quæritur an eo tempore quo in dictis capellaniis celebrant, distributiones recipere debeant, licet absint a choro : et quid de illis canonicis, qui celebrant in eadem ecclesia suæ devotionis gratia, an quando hac causa a choro absunt, distributiones recipere possint; et dato quod non, quid si a superiore ecclesiæ eis injungatur ut eo tempore celebrent? Respondit S. C. concilii non posse, nisi quando sic jussissent superiores, quos tamen admoneri vult ut ab hujusmodi jussu se abstineant. (1575.)

2° Canonicos absentes de licentia episcopi causa studiorum posse percipere reditus præbendæ, nullas tamen distributiones, sed relinquendum arbitrio episcopi vel capituli quot canonici absint eodem tempore ex dicta causa et spatium temporis ad quinquennium a principio studii inchoandum, statutum est. (1573.)

3° Putavit S. C. portiones distributionum non deservientium canonicorum deservientibus accrescere, juxta cap. 3, sess. 21. Et canonici absentes tribus mensibus permissis lucrantur quidem fructus præbendæ, non autem distributiones quotidianas, eaque in re non est attendenda contraria consuetudo. (Octob. 1587.)

4° Censuit S. C. posse canonicum in publica universitate sacram theologiam docentem, etiamsi ab ecclesiæ servitio absit, percipere hujusmodi distribu-

tiones quotidianas, quibus omnes reditus capituli constant, dimissa tamen altera ex tribus partibus, quarum pars inservientibus accrescit. (Febr. 1597.)

5° Proposito dubio an canonici quibus non incumbit uti canonicis onus audiendi confessiones, si pro eis audiendis absint a chori servitio, lucrentur distributiones quotidianas? Respondit S. C. minime lucrari. (22 junii 1624.)

6° Canonicum absentem et missum ab episcopo ad visitanda apostolorum limina, admittendum esse ad distributiones quotidianas quoad tempus visitationis liminum (quod declaravit esse unius anni) S. C. resolvit. (23 januar. 1627.)

7° Censuit S. C. canonicis episcopo pontificaliter celebranti assistentibus deberi distributiones quotidianas, non autem inservientibus episcopo diœcesim visitanti, vel missam privatam celebranti. (3 febr. 1629.) Idem etiam declaravit quoad duos illos canonicos quorum opera uti potest episcopus : lucrantur fructus præbendæ, non autem distributiones quotidianas. (4 junii 1633.)

8° Declaratum est ex statuto capituli non posse canonicos, dum confessiones audiunt, distributiones quotidianas percipere, sed injungendum archiepiscopo ut loco pœnitentiarii per eum deputandi in prima vacatione canonicatus ad illius collationem spectantis, canonicum idoneum sibi benevisum deputet, ut interim loco dicti pœnitentiarii confessiones audiat, et distributiones, prout pœnitentiarius, percipere valeat : ita tamen ut cesset hujusmodi facultas eo ipso quo dicta vacatio evenerit. (4 april. 1637.)

IV. CANONICI QUOAD MISSAM CONVENTUALEM.

1° Canonici ad personaliter canendas missas illis diebus, quibus ex institutis vel legitima consuetudine illius ecclesiæ debent, cogendi sunt. (S. C. C. 1573.)—Canonici ecclesiæ cathedralis tenentur ad celebrationem missæ conventualis singulis diebus, non obstante contraria consuetudine : adeoque servandum est decretum desuper editum ab Ordinario (Tusculano) : pœnas vero contra adversantes pro arbitrio episcopi (Moderni) esse moderandas. (16 nov. 1652.)—Ad preces cujusdam canonici S. C. rescripsit : oratorem, non obstante allegata consuetudine, et quod in fundatione non habeat onus celebrandi et applicandi sacrificium, non posse diebus, quibus alterna vice juxta tabellam Ecclesiæ missas celebrat, applicare sacrificium pro sibi largientibus eleemosynam. (26 april. 1635.)

2° Episcopus exposuit quod licet semper fuissent soliti applicare ad sui libitum missam conventualem, quum nullum emolumentum percipiant, et reditus canonicatuum sint tenuissimi, nihilominus modo vicarium generalem, absente episcopo, eis applicationem, licet careant distributionibus quotidianis, præcepisse pœna suspensionis adjecta. Canonici petebant saltem ut constituatur eleemosyna. Sed S. C. anno 1666 censuit non licere eleemosynam recipere. Redeunt modo canonici, et dandam esse declarationem alias editam *in Fulginaten.*, putavit. 13 sept. 1670. In laudata declaratione statuit S. C. non obstante asserta consuetudine non applicandi et eleemosynam recipiendi, teneri canonicos missam conventualem celebrare, et applicare pro benefactoribus, nulla pro illo sacrificio accepta eleemosyna.

3° Onus missam conventualem celebrandi in eccle-

sia cathedrali spectat ad solos canonicos, minime ad presbyteros participantes. (24 sept. 1712.)

4° Missam conventualem canendam esse quotidie in cathedralibus pluries declaravit S. C. Rituum (14 januar. 1603, 25 junii 1611), etc.; et etiam in illis diebus quibus cantant aliquam missam votivam. (Eadem cong. 21 junii 1611.) Et canonicus vel alius sacerdos qui celebrat missam conventualem in qua chorus tenetur cantare symbolum, non potest illam prosequi eo tempore quo a choro cantatur symbolum prædictum.

5° Missas pontificales celebrare, absente episcopo, pertinet ad primam dignitatem vel ad antiquiorem canonicum, non autem ad canonicum hebdomadarium. (S. C. Rit. 10 januar. 1597.) Si vero sit consuetudo immemorialis quod ad canonicum hebdomadarium, vel ad archipresbyterum, licet non sit prima dignitas, vel ad aliam dignitatem hujusmodi functiones spectent, servanda est consuetudo quæ non tollitur per cæremoniale. (S. Cong. Rit. 25 jan. 1602.)

V. DE CANONICO THEOLOGO ET POENITENTIARIO.

I. *De canonico pœnitentiario.* — 1° Electio pœnitentiarii quandocumque facienda ad solum episcopum absque consensu capituli pertinet. Collatio autem præbendæ unitæ officio pœnitentiarii ab *illis fieri* debet, ad quos antea spectabat. (S. C. conc. ann. circiter 1582.) Hodie, post const. *Pastoralis officii*, electionem pœnitentiarii debet fieri per concursum.

Pœnitentiaria vacans, sede episcopali vacante, non potest provideri a capitulo, etiamsi collatio præbendarum esset communis episcopi et capituli, vel etiam solius capituli. (S. Cong. c., apud Garcias.)

2° Cononicus pœnitentiarius deputari debet, qui sit

magister, aut doctor, seu licentiatus in theologia vel jure canonico. (Conc. Trid., s. 24, c. 8.) Sed quando doctores vel licentiati in jure canonico vel theologia apti non inveniuntur, non est necesse pro validitate collationis hujus præbendæ, quod provisus sit doctor, dummodo sit aptior. (Colligitur ex Trid., loco citato.) Debet esse in ætate 40 annorum, ut declaravit idem concilium.

3° Institutio pœnitentiarii in cathedralibus tantum est facienda, ut declarat C. Trid., loco citato. Et hæc institutio locum non habet in aliis collegiatis, ut decisum fuit a S. Cong. conc.

4° Pœnitentiarius semel institutus habet a jure facultatem audiendi confessiones, et jurisdictionem ad absolvendum a peccatis absque alia ordinarii licentia, et est velut parochus totius diœcesis, ut docent communiter auctores. Et quilibet potest peccata sua pœnitentiario confiteri, et sic satisfacere præcepto. Confessiones audire si renuerit pœnitentiarius, poterit ab episcopo puniri. Sic declaratum fuisse a Sac. Cong. conc., refert Garcias.

5° Consultum etiam S. C. fuit, pœnitentiarium teneri integras confessiones audire, non solum casus reservatos. (S. C. C. 21 april. 1587.)

6° Imo debet residere de mane, etiam non vocatus, in sede confessionali ab episcopo destinata, tempore jejuniorum Quadragesimæ, Adventus, quatuor temporum, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Assumptionis B. Mariæ Virginis, omnium sanctorum ac Nativitatis Domini. (S. C. C. in Segobien.)

7° S. C. respondit pœnitentiarium non posse absolvere a casibus episcopo reservatis, nisi episcopus ipse hanc ei tribueret facultatem. (S. C. C. 5 decemb. 1637.)

II. *De canonico theologo.*—1° Concilium Tridentinum,

sess. 5, *de Ref.*, c. 1, declaravit canonicum theologum debere deputari in omnibus ecclesiis cathedralibus, si civitas sit insignis.

De electione canonici theologi idem plane dicendum, ex variis declarationibus S. C. C. et ex constitutione *Pastoralis officii* Bened. XIII, ac de electione pœnitentiarii. Debet etiam eligi qui sit doctor in theologia.

2° Canonicus provisus de præbenda theologali cum clausula de assumendo infra annum gradu magisterii in S. Theologia, in aliqua approbata universitate, de jure non sufficit quod magisterium infra annum recipiat in jure canonico. (S. C. C. 5 junii 1723.)—Et eadem Cong. (12 dec. 1761) declaravit, loco doctoratus in theologia sacra, satis non esse doctoratum in utroque jure in universitate Sapientiæ urbis obtentum.

3° Canonicus theologus 40 saltem quotannis lectiones publice in ecclesia habere tenetur (Benedictus XIII in concilio romano); et satisfit suo muneri sive legat sacram scripturam, sive theologiam scholasticam. (S. C. C., apud Ferraris.) Cogi potest pro arbitrio episcopi, loco sacræ scripturæ, legere casus conscientiæ, seu theologiam moralem. (S. C. C. 28 sept. 1765.)

4° Tempus, locus, materia lectionum remittitur arbitrio episcopi (S. C. episc. 11 jan. 1594); et potest episcopus statuere ut lectiones fiant non in cathedrali ecclesia, sed in palatio episcopi, maxime si in cathedrali sit infrequens canonici legentis auditorium. (S. C. C. 11 mart. 1662.)

5° Non tenetur tamen canonicus theologus legere, si ejus antecessores nunquam legerint, ex quo non adesset necessitas. (S. C. episc. 8 maii 1637.)

6° Ad lectionem scripturæ sacræ in cathedrali tenentur accedere canonici et cæteri presbyteri ipsius ecclesiæ cathedralis, et possunt compelli ab episcopo.

(S. C. C. 11 aug. 1618.) Tamen si canonicus theologus legeret casus conscientiæ, possunt solum compelli canonici et presbyterii qui sunt confessarii; cæteri possunt solum hortari. (S. C. C. 15 mart. 1692.)

ARTICULUS IV.

DE PAROCHI JURIBUS ET OFFICIIS.

1. Collatio parochiæ debet fieri per *concursum*, juxta dispositionem C. Trid., s. 24, cap. 18, et juxta constit. *In conferendis* Pii V. Sac. Cong. concil., approbante S. P., methodum ac normam concursus præscripsit in epist. encyclica 10 januar. 1721. Examen concurrentium debet fieri « ab episcopo vel, eo impedito, ab ejus vicario, et aliis examinatoribus synodalibus, non paucioribus quam tribus, » sunt verba conc. Trid., s. 24, c. 18. Sed possunt adhiberi plus quam tres examinatores synodales, sed non pauciores. (S. Cong. conc., apud. Garc.)

« Examinatores, ait c. Trid., l. c., singulis annis in diœcesana synodo ab episcopo vel ejus vicario, ad minus sex proponantur, qui synodo satisfaciant, et ab ea probentur. » Examinatores synodales perdurant usque ad novam synodum, licet quolibet anno non celebretur. (S. Cong. c. 10 decem. 1695.) « Sint hi examinatores (verba sunt c. Trid., l. c.) magistri seu doctores, aut licentiati in theol. vel jure con., si exstent; alioquin alii clerici sunt eligendi, qui ad id videbuntur magis idonei. »

Concursus est nullus in quo cum examinatoribus synodalibus alius intervenit, qui non erat de synodalibus. (S. C. C. 15 dec. 1629.) Si tamen hic post examen interroget tantum honoris causa, nec det votum, concursus erit validus.

II. Parochus novus cum ad possessionem admittitur, debet *professionem fidei* facere juxta formulam quæ habetur in pontificali in ordine ad synodum, et id intra bimestre (in manibus tantummodo episcopi vel vicarii generalis, ut docent communiter auctores) sub pœna amissionis fructuum. (Conc. Trid., s. 24, c. 12, *de Reform.*) Et omissa vel ob ignorantiam, vel ob imprudentiam, non excusat saltem in foro externo.

Parochi etiam amovibiles ad professionem fidei tenentur, quæ toties renovari debet, quoties fit translatio ad aliud beneficium. (S. C. C. 17 dec. 1866.)

I. PAROCHUS QUOAD RESIDENTIAM ET PRÆCEDENTIAM.

I. *Residentia.* 1° Parochus debet residere in sua parochia, imo in ædibus parochialibus. (S. Cong. c. 13 jan. 1720.) Residere tenetur in loco ubi est ecclesia parochialis, etiam si esset ei datus coadjutor ratione infirmitatis. (S. Cong. concil., apud Garcias.) Et si non habet domum propriam in loco ubi residere debet, aliquam conducere tenetur. (Eadem Congr.) Poterit tamen parochus, relicta parochiali domo, in propria habitare, si illa sit intra fines parochiæ, ita ut possit muneri residentiæ satisfacere.

2° Parochus tenetur residere personaliter, etiamsi per alium æque bene vel melius populo suo serviatur. Et debent per seipsos et non per substitutos subire ea munia ad quæ tenentur; tamen in casibus in quibus jus eis permittit ut per vicarios suo officio fungantur, possunt per substitutos hæc munia obire. (S. Cong. c. 3 jul. 1591.) Potest tamen pro meliori suorum officiorum executione unum vel plures coadjutores habere et ipsis relinquere opera magis ardua, ut ire de nocte ad infirmos, confessiones multas audire, dummodo ipse, cessante justo impedimento, principaliora munia

pastoralia personaliter præstare non intermittat. Ita Barbosa et communiter auctores.

3° Parochi non possunt abesse a suis parochiis, neque per illos duos menses quos concessit conc. Tridentinum (S. C. C. feb. 1573), imo nec per hebdomadam absque licentia episcopi, quæ in scriptis concedenda est. (S. Cong. conc., apud Fagnanum.) Nonnulli tamen auctores tenent in duobus mensibus a concilio concessis posse parochum ex justa causa abesse sive licentia episcopi, quod tamen nunc amplius sustineri nequit, propter varias declarationes S. Cong., quas auctores afferunt, præsertim Fagnanus, qui etiam docet non sufficere licentiam petitam, sed requiri obtentam et in scriptis datam; episcopus tamen eam negari nequit, sine rationabili causa.

4° Occurrente tamen causa urgente subito abscedendi, potest parochus, relicto vicario idoneo, discedere sine præhabita licentia; sed debet quamprimum suum discessum episcopo notum facere, et causam hujus discessus declarare, ut episcopus licentiam concedat. (S. Cong. c., apud Garc.)

5° Potest episcopus per aliquam constitutionem prohibere ne parochus ultra duos dies abesse possit sine licentia. (S. Cong. conc., apud Garc.) Sed ubi non est talis constitutio, potest parochus ex causa legitima abesse, etiam non petita licentia.

Ad dubium : 1° an parochus villæ in qua non est alius sacerdos, etiamsi nullus infirmetur, sine episcopi licentia abesse possit a parochia per duos vel tres dies, nullo idoneo relicto vicario? S. Cong. c. respondit negative. — 2° An saltem abesse possit a mane usque ad vesp.? Resp. S. C. affirmative, dummodo non sit die festo et nullus adsit infirmus, et raro id in anno contingat. — 3° An parochi viciniores actu exercentes

curam animarum possint invicem se substituere? Resp. eadem Cong. negative, si id fiat sine licentia ordinarii (8 feb. 1747).

6° Quatuor causæ superius enumeratæ quoad episcopum, etiam excusant parochum a servanda residentia. Unde ob *christianam charitatem, urgentem necessitatem*, etc., potest parochus abesse ultra duos menses, petita tamen, si fieri potest, licentia ab episcopo. Ita communiter auctores. Si fingeret causam justam, quam non haberet, peccaret mortaliter, et teneretur ad restitutionem fructuum in tali absentia perceptorum.

7° Sed parochus justa de causa absens, semper tenetur relinquere idoneum vicarium in sua diœcesi approbatum pro administratione sacramentorum. (Conc. Trid., s. 23, *de Ref.*)

In dubio : utrum infirmitas excusaret parochum a residentia? Duo casus sunt distinguendi : *primus* est cum parochus extra locum beneficii in morbum incidit, et tunc evidenter non tenetur ad residentiam; *secundus* casus est cum parochus ægrotat in loco residentiæ, et tunc S. C. C. declaravit infirmitatem non excusare a residentia, nisi saltem in loco residentiæ non sit copia medicorum et rerum necessariarum : tunc potest ab Ordinario dari licentia deserendi parochiam; sed si abscederet sine licentia episcopi, bona fide putans sufficere evidentiam causæ, non excusaretur. (S. Cong. c., apud Fagnanum.)

Ultra bimestre episcopus non potest concedere licentiam, nisi ob aliquam gravem causam. (Auctores communiter ex conc. Trid., s. 23, *de Ref.*, c. 1.)

II. *Præcedentia.* 1° Canonici et presbyteri ecclesiæ cathedralis debent præcedere omnibus curatis parochialium ecclesiarum in omnibus processionibus et functionibus (S. Cong. Rit. 2 aug. 1603), etiam in pro-

priis ipsorum curatorum ecclesiis, et procedit, licet curati cotta et stola induti sint. (Ead Cong. 25 jun. 1611.) Sed parochus præcedere debet omnibus aliis presbyteris, qui non sunt de cathedrali. (S. Cong. Rit., in eadem decl.) Parochus locum habet in funeribus præ canonicis, sine propria cruce et sine concessu capituli incedentibus. (Ead. Cong. 20 nov. 1603.)

2° Præcedentia inter ipsosmet parochos curatos ecclesiarum parochialium, sive sint seculares, sive regulares, datur secundum prærogativam suarum ecclesiarum (S. Cong. Rit. 21 mart. 1609), seu secundum antiquitatem et dignitatem ecclesiarum, non autem ipsorum parochorum (10 maii 1642).

Parochus protonotar, non præcedit supraparochos non protonotarios, quia præcedentia inter parochos sumitur ex prærogativis ecclesiæ parochialis. (S. C. Rit. 21 mart. 1676.)

3° Præcedentia in funeralibus debetur archipresbytero parocho ratione stolæ, et non archidiacono primæ dignitati (S. C. Rit. 4 maii 1613.)

4° Parochus, exceptis iis quæ sunt sui officii, nullam regulariter præcedentiam et præeminentiam habet; atque hinc est quod parochus in choro locum altiorem et ornatiorem habere nequit, quam cæteri presbyteri inibi assistentes. (Rota 10 maii 1707.)

5° Præcedentia, quæ debetur parochis perpetuis, eadem debetur parochis et curatis amovibilibus ad nutum, quia etiam hi gaudent prærogativis parochorum perpetuorum. (S. Cong. c. 27 mart. 1706.)

6° Parochi manutenendi sunt in possessione sedendi in stallis canonicalibus post omnes canonicos. (S. Cong. Rit. 23 mart. 1641.) Et parochi sedentes post canonicos, sed in eodem scamno, thurificandi sunt immediate post dignitates et canonicos illius partis in qua aliqui

eorum existunt; alii post dignitates et canonicos alterius partis (sedentes a dexteris chori immediate post canonicos ejusdem partis; et sedentes a sinistris immediate post canonicos ejusdem partis).—S. Cong. Rit. 3 dec. 1672.

II. PAROCHUS QUOAD PRÆDICATIONEM ET MISSAM PAROCHIALEM.

I. *Prædicatio.* 1° Parochi tenentur per se ipsos vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus plebes sibi commissas pascere prædicatione verbi. Ita conc. Trid., s. 5, De ref., c. 2, quod etiam modum indicat quo pastores debent oves sibi commissas salutaribus verbis pascere. Docere ergo debent parochi quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiando cum brevitate et facilitate sermonis vitia quæ eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere et cœlestem gloriam consequi valeant.

Peccaret graviter parochus, etiam præcisa gravi populi necessitate, si tribus mensibus totius anni discontinuis per se vel per alios non concionaretur. Id colligetur ex verbis conc. Trid., monentis cogendos esse per *censuras* et alias pœnas parochos qui trium mensium spatio muneri suo defuerint.

2° Possunt parochi per se ipsos inter missarum solemnia sermonem habere, etiam quando episcopus ipse prædicat (S. Cong. conc. 11 jun. 1731), ubi subdit id non intelligi respectu parochorum in ecclesia parochiali. Hæc declaratio alteram explicat (2 maii 1629) ejusdem Cong. statuentis quod, dum prædicat episcopus, silere debeant alii prædicatores. Episcopo solemniter celebrante non decet omnino sermonem haberi, nisi vel ab ipsomet episcopo vel ab aliquo

canonico, qui eo casu servit episcopo in officio presbyteri assistentis. (Cær. episc.)

3° Parochi si per se velint munus prædicationis obire, non debent impediri. (S. Cong. conc., apud Barb.) Sed parocho per se ipsum concionanti minime licet prætextu cujusque paupertatis prætendere sibi præstari eleemosynam solitam dari prædicatoribus extraneis ad prædicandum vocatis. (S. Cong. conc. 10 mart. 1621.)

4° Parochi in suis ecclesiis admittere non debent concionatores ab Ordinario non approbatos, etiamsi prædicare vellet aliquis episcopus. Ita declaravit Clem. VIII. Possent tamen, juxta plures auctores, parochi licentiam dare alicui viro docto et noto ut bis vel ter concionetur in suis ecclesiis, sine episcopi approbatione ; sed attenta declaratione Clementis VIII, ait Giraldi, nunquam licet prædicare sine licentia episcopi.

5° Parochi in concionibus caveant ab allegatione doctorum et auctorum modernorum, præsertim viventium. (S. Cong. Sancti Off. 27 octob. 1849.) Sed utantur catechismo romano, maximasque utiles et auditorum capacitati adæquatas simpliciter et clare explicent, ut populus libenter audiat, frequenter concurrat et fructuose discedat. (Clemens XI in littera ency. 16 martii 1703.)

6° Parochi singuli tenentur concionem habere in suis ecclesiis, nec excusantur ex consuetudine etiam immemoriabili, sive quod in aliis ecclesiis conciones habeantur, sive ex infrequenti auditorum. Ita Inn. XIII. Sufficit tamen pro concione allocutio pia singulis festis. (S. Cong. conc. 8 aug. 1732.)

II. *Celebratio missæ.* 1° Parochus diebus festis missam celebrare debet in propria ecclesia et non in alia,

quacumque consuetudine in contrarium non obstante. (S. Cong. conc. 18 sept. 1629.) Obligatio celebrandi pro populo est personalis, adeoque non potest parochus per alium huic obligationi satisfacere, excepto casu impedimenti legitimi (S. Cong. 27 febr. 1847 et julii 1848), — et nisi agatur de missa solemni, juxta interpretationem illorum decretorum a Gardellinio datam : « Parochus potest per se vel per alium missam solemnem pro populo applicare, quando agitur de missa solemni ; debet vero per se celebrare si agitur de missa privata, nisi sit legitime impeditus. »

2° Utrum parochus infirmitate detentus et diebus dominicis aliisve festis ea de causa impeditus missam celebrare, teneatur per alium supplere, si adsit alius sacerdos, — aut post recuperatam sanitatem missas omnes sic non applicatas offerre ipse pro populo? — Resp. S. Cong. C. affirmative ad 1am et negative ad 2am (scilicet non potest expectare sanitatem, sed debet per alium supplere) (14 dec. 1859). — Utrum parochus iter aliquod die festo agens et eo die missam celebrare prohibitus, missam omissam altero die pro populo celebrare teneatur? Resp. S. Cong. C. parochum teneri die statuto per alium supplere, citra speciale indultum sanctæ Sedis. (Ead. declar.)

3° Ad dubia : I. An parochi debeant ss. missæ sacrificium pro populo offerre diebus dominicis et iis etiam festis diebus qui per indultum apost. (die 9 april. 1802) suppressi sunt, licet hujus obligationis nova promulgatio et episcopo diœcesano non fiat?

II. An consuetudo unquam legitima haberi possit, vi cujus parochi non applicent pro populo missæ sacrificium aut dominicis aut saltem prædictis festis diebus suppressis?

III. An parochi ipsi missæ sacrif. pro populo afferre

debeant, si legitima causa non impediantur, an vero per alium, v. g. sacellanum aut presbyterum advenam, huic officio satisfacere possint?

S. Cong. conc. rescribendum censuit :

Ad I. Affirmative,

Ad II. Negative,

Ad III. Affirm. ad primam partem, negative ad secundam, excepto casu veræ necessitatis et concurrente causa canonica. (25 sept. 1847.)

4° Parochi nequeunt impedire aliarum ecclesiarum moderatores quominus missas celebrent ante parochialem. (S. Cong. Rit., in collect. Gardell., sub n° 1134.)

5° Parochus hortandus, non cogendus ab episcopo ad præbendum sacra supellectilia, et alia necessaria pro sacrificio sacerdotibus sub parochia commorantibus, et in ecclesia parochiali celebrare volentibus. (S. Cong. Rit. 10 junii 1602, et iterum 31 martii 1703.)

III. PAROCHUS QUOAD SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONEM ET FUNERALIA.

I. 1° Sacramenta administrare in aliena parochia non licet parocho cathedralis. (S. Cong. conc. 20 sept. 1628.) Imo non licet parocho cathedralis sacramenta ministrare infirmis canonicis ejusdem cathedralis, sed hoc spectat ad parochum domicilii. (S. Cong. ep. et reg. 12 maii 1685.)

2° Ad parochum spectat administrare sacramenta famulis et famulabus inservientibus monasteriis monialium, quamvis exemptarum, non autem ad confessarium earumdem monialium. (S. C. C. 14 april. 1685.) Non possunt etiam religiosi administrare sacramenta in domibus tertiariorum aggregatorum, præterquam sacramentum pœnitentiæ; administratio

autem cæterorum sacramentorum pertinet ad curatum. (S. C. C. 20 junii 1609.)

3° Parochus potest simplici sacerdoti licentiam concedere administrandi sacramenta in sua parochia, excepta pœnitentia. (S. Cong. episc. et reg. 20 aug. 1602.)

4° Non debet ordinarius, sine causa valde gravi, auferre a propriis curatis celebrationem baptismi et matrimoniorum, eaque ipse ministrare vel aliis delegare. (S. Cong. episc. et reg. 17 sept. 1604.)

5° Potest parochus suorum subditorum confessiones audire in aliena diœcesi absque licentiâ episcopi illius diœcesis; sed si fuisset vocatus a parochis alterius diœcesis, non posset in illa audire confessiones alienorum absque approbatione episcopi loci. (S. Cong. conc. 3 dec. 1707.) — Sed dubitari posset an parochus vocatus ab alio parocho ejusdem diœcesis possit in ejus parochia confessiones audire? Quidam canonistæ affirmant, alii vero negant ex hac declaratione S. Congr. conc. : « Provisus de parochiali per concursum » censetur approbatus ad audiendas confessiones » dumtaxat in ea civitate vel oppido ubi sita sit paro- » chialis, non autem passim per totam diœcesim. » Si tamen constaret de diversa voluntate episcopi, aliter censendum foret. Inde etiam sequitur parochum, dimisso beneficio parochiali, non posse absque nova approbatione confessiones audire.

6° Parocho ministranti viaticum, etiam prætextu invaletudinis, neque de nocte neque de die permitti debet pileolus. (S. Cong. Rit. 13 aug. 1695.)

7° Parochis licet extrahere S. sacramentum pro viatico deferendo ad infirmos ex omnibus ecclesiis tam secularibus quam regularibus, etiam exemptis, sitis infra limites parochiæ, dummodo urgeat necessitas.

(S. Cong. Rit. 22 aug. 1705.) Et etiam absente Indultario potest in casu necessitatis celebrare in oratorio privato ut viaticum ministret infirmo. (Ead. Cong., apud Gard., n. 4782 ad 2.)

8° Monacellus inter *jura parochialia*, seu functiones privative parocho pertinentes, enumerat : 1° delationes stolæ in processionibus funeralibus (S. Cong. conc. 25 jun. 1695); 2° benedictionem domorum in sabbato sancto; 3° administrationem sacramenti Eucharistiæ tempore Paschatis et infirmitatis; 4° retentionem clavis tabernaculi et rerum quæ pertinent ad sacramenta (S. Cong. conc. 11 nov. 1693); 5° benedictionem sponsorum et cadaverum defunctorum antequam e domo leventur; 6° publicationem matrimoniorum, excommunicationum et indulgentiarum (S. Cong. ep. et reg. 3 julii 1615). Hæc enim nonnisi a parocho vel de ejus licentia exerceri et expleri debent. Imo in ecclesia parochiali nequit quidquam ordinari aut exerceri, invito parocho. (S. Cong. Rit. 15 sept. 1640.)

Functiones non mere parochiales sunt benedictio et distributio candelarum, cinerum et palmarum, ignis, seminis, ovorum et similium, functiones hebdomadæ sanctæ, celebratio missæ in feria quinta cœnæ Domini. (S. Cong. Rit. 10 dec. 1703.) Et in eadem declaratione additum fuit benedictionem tum mulierum post partum, tum fontis baptismalis fieri debere a parochis.

II. *Funeralia.* 1° Hæredes defunctorum pro illis ad sepulturam associandis numerum ceræ sibi benevisum, quolibet prætextu contrario per parochum deducto non obstante, subministrare valent. (S. Cong. ep. et reg. 5 maii 1617.) Et hæredes defunctorum possunt vocare numerum religiosorum sibi benevisum in deferendis cadaveribus ad ecclesias. (S. Cong. Rit. 21 nov. 1627.) Et tunc destinatos clericos ab eis, et non alios

vocare debebit parochus. (Ead. Cong., 30 aug. 1601.) Parochi contra voluntatem hæredum defunctorum nequeunt impedire regulares, aliosque clericos vocatos, ut veniant ad funus. (Ead. Cong., 23 april. 1663.)

2° Parochi non possunt cogere hæredes ut pro defunctis qui tumulantur in ecclesiis regularium, in ecclesiis etiam parochialibus celebrari faciant officia, novennalia, etc., prout celebrantur in ecclesiis regularium in quibus cadavera sepeliuntur (S. Cong. Rit. 23 april. 1633) ; sed parochi licentia, seu interventus requiritur ad hoc ut regulares possint defunctorum cadavera in ejus parochia levare, nisi ipse requisitus venire expresse omnino recuset. (Ead. Cong., 18 oct. 1619.) Vocato etiam parocho, et ipso renuente intervenire vel alterum mittere, tunc possunt regulares absque parocho deferre cadavera in eorum ecclesiis sepelienda. (Ead. Cong., 22 junii 1675.)

3° Parochus proprius nullatenus est excludendus, quamvis ad sepeliendum cadaver regulares dumtaxat accersiri jubeantur. (Sac. Cong. episc. et reg. 1581.) Et ad parochum spectat declarare per quam viam sit exportandus defunctus, et facere omnia necessaria usque ad januam ecclesiæ regularium ubi sepeliendus est. (Ead. Cong., 3 jan. 1594.)

4° Regulares extra claustra decedentes possunt ad eorum ecclesias deferri, inconsultis parochis. (S. Cong. conc. 2 julii 1620.)

5° Parochus facere debet officium supra corpus defuncti, etiamsi adsint canonici ecclesiæ cathedralis, in sua parochiali ecclesia. (S. Cong. Rit. 28 april. 1607.)

6° Parochus defuncti præcedit alteri, in cujus parochiæ fines quis est improvisa morte defunctus est. (S. Cong. Rit. 9 dec. 1634.) Parocho etiam licet in ducendis funeribus extra propriam ecclesiam transire per

confines aliarum parochiarum, ac etiam cathedralis, nec propterea sunt molestandi. (S. Cong. Rit. 17 nov. 1674.) Sed non licet parocho elevare crucem et deferre stolam in funere asportando ad aliam parochiam (ipsius defuncti). (Ead. Cong., 21 apr. 1714.)

7° Canonicus ecclesiæ cathedralis decedens, non electa sibi sepultura, debet sepeliri in cathedrali, si est in ea sepulcrum proprium canonicorum; sin minus in sepulcro majorum. (Sac. Cong. conc. 14 maii 1685.) Et pro sepultura canonicorum cathedralium debetur quarta funeralis parocho domicilii, non vero parocho cathedralis, neque parocho ubi adest sepulcrum majorum. (In ead. declar.)

8° Parochus debet incedere sub cruce regularium, si cadaver ad eorum ecclesiam deferatur (S. C. C. 21 jul. 1645, etc.), nisi consuetudine legitima receptum sit ut tam parochi quam regulares erigant propriam crucem.

Non potest parochus cum stola et cruce elevata ingredi ecclesias regularium occasione associationis cadaverum ad illorum ecclesias. (S. Cong. C. 22 april. 1625, et S. Cong. epis. et reg. 16 dec. 1661.) Tamen sunt aliæ multæ declarationes earumdem congregationum quæ illud jus parocho tribuunt. Unde per illas sublatam fuisse hanc exemptionem regularium videretur per constit. Ben. XIII *Prœtiosus*. Sed hæc revocata fuit a Clemente XII, et ideo remanet disciplina sancita in decl. primo loco adductis.

Parochus proprius defuncti, cujus cadaver est ad ecclesiam regularium deferendum, debet benedicere et preces intonare; ad regulares vero spectat officium facere in propria ecclesia. (S. Cong. Rit. 18 nov. 1606.) Et parochus funus ducens ad ecclesiam regularium, perventus ad ecclesiæ januam, dicto ultimo vale de-

functo, recedere debet. (S. Cong. Rit. 23 mart. 1619.)

9° Parocho jus funerum cum cruce et stola non competit, sed privative ad confessarium monialium pertinet occasione delationis cadaverum ad ecclesiam exteriorem monialium. (S. C. C. 22 aug. 1726.)

10° Parochi associantes funus nequeunt prætendere candelam majorem illa quæ datur superiori regularium associato ab aliis suis religiosis. (S. C. C. 15 mart. 1604.) Et idem dicendum est de aliis sacerdotibus vel canonicis.

Jus sepulturæ. 1° Quilibet a jure non impeditus potest sibi eligere sepulturam in qualibet ecclesia ad id jus habente. Constat ex multis decretalibus S. P. Qui sibi sepulturam non elegit, sepeliendus est in sepulcro majorum suorum. Et si quis nullam habeat sepulturam majorum, nec aliquam sibi elegerit, sepeliendus est in propria parochia ubi sacramenta recepit.

2° Peregrini pertranseuntes, nisi sepulturam elegerint, sepeliendi sunt in cathedrali; advenæ autem et peregrini habentes per aliquod tempus habitationem in aliqua parochia, sepeliendi sunt in ipsa. (S. Cong. ep. et reg. 3 jul. 1592.) Milites, famuli, studiosi alicubi habitantes, si sepulturam non sibi elegerint, sepeliendi sunt in parochia ubi sic habitabant et decesserunt. Sed juvenes seculares et puellæ, nondum habitu regulari induti, sed de brevi induendi, sepeliendi sunt in monasterio ubi decedunt.

3° Universis religiosis et secularibus clericis cujuscumque status vel conditionis existant, in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione maledictionis æternæ districtissime prohibemus, ne aliquas ad movendum vel jurandum seu alias promittendum inducant ut apud eorum ecclesias sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent. Ita Bonif. VIII.

Et in Clem. *cupiente* additur excommunicatio major Papæ reservata et ipso facto incurrenda. Controversia tamen est inter canonistas an parochi impedientes proprios parochianos ne eligant sepulturam in aliena ecclesia, incurrant excommunicationem, quia Clementina *cupiente* videtur edita in favorem parochorum.

4° Parochus nequit differre sepulturam sub prætextu compositionis quartæ funeralis (S. Cong. ep. et reg. 5 maii 1617), vel propter jus sepulturæ minime solutum. (Ead. Cong., 17 sept. 1617.) Cadavera pauperum fidelium gratis omnino tumulari et sepulturæ tradi debent. (Ead. Cong., 5 maii 1617.)

5° Parochus occasione transitus per suam parochiam cadaveris alterius parochiæ non potest prætendere aliquam partem ceræ vel pecuniarum pro quarta funerali aut alio titulo. (S. Cong. ep. et reg. 24 nov. 1713.)

6° Ante ortum solis aut post illius occasum non possunt cadavera ad sepeliendum deferri, absque licentia episcopi. (S. Cong. conc. 15 martii 1713.)

Quarta funeralis. 1° Quarta funeralis est portio jure canonico inducta, quæ debetur ob sacramenta quæ parochus suis parochianis administravit. Ita in pluribus decretal. S. P. Hæc quarta funeralis debetur ecclesiæ in qua parochianus consuevit missam audire ac sacramenta recipere. Et sic de jure debetur proprio parocho vel sacerdoti habenti curam parochianorum. (Rota 14 mart. 1622.) Si in sua ecclesia parochianus missam audiret, in altera sacramenta reciperet, huic deberetur quarta funeralis.

2° Quarta funeralis debetur de iis quæ ratione funeris præbentur ab hæredibus defuncti. (Sixtus IV in constit. *Etsi mendicantium.*) Non tamen debetur de missis, anniversariis et legatis piis relictis in favorem

ecclesiæ tumulantis. (Bened. XIII in const. *Romanus Pontifex.*)

IV. DE VICARIO PAROCHIALI.

1° Vicarius perpetuus solet potissimum institui in parochialibus quæ cathedrali, collegiatæ vel monasterio unitæ reperiuntur; sed in monasteriis quibus annexa est cura animarum, vicarius perpetuus poni nequit ab Ordinario, sed tantum a superioribus eorum. (Ita Pius V in const. *Ad exsequendum.*) Potest tamen episcopus, juxta eamdem constitutionem, deputare vicarium temporalem. Vicarius perpetuus deputandus est ad præsentationem illorum quorum ecclesiæ parochiales sunt unitæ, non autem est ad liberam ordinariorum electionem. (Pius V in cit. const., et Rota 10 dec. 1696.) Tamen vicarii illi sunt prius examinandi et approbandi ab episcopo. (S. Cong. conc. 23 junii 1619.)

Vicarius perpetuus parochiæ unitæ concursu non confertur, sed solum ad nominationem seu præsentationem illius cujus dignitati seu beneficio parochialis est unita; deputandus est, instituendus est vicarius cum Ordinarii prævio examine et approbatione, ut habetur in prædicta const. Pii V.

Verum si nedum exercitium, sed cura totalis et habitualis in vicarium transferatur (quod præsumitur si congrua portio assignatur rectori principali, cæteris fructibus remanentibus penes vicarium), tunc ejus vicario concursu est conferenda, ut declaravit Rota decis. 579.

2° In arbitrio est episcopi ipsum vicarium curæ animarum, quæ alias incumbebat capitulo, facere perpetuum, non obstante consuetudine deputandi vicarium ad nutum capituli (S. Cong. conc. 4 sept. 1696), dum-

modo tamen erigatur in titulum beneficii, et capitulo relinquatur facultas eligendi vicarium, prævio examine, ab Ordinario approbandum. Sed capitulum eligere debet intra 8 dies, secus electio ad ipsum Ordinarium devolvetur (S. Cong. ep. et reg. 14 nov. 1603); et, facta hac electione, totum curæ exercitium vicario privative incumbit. (S. Cong. C. 2 junii 1696.)

3° Vicarius perpetuus in parochiali ecclesia constitutus eamdem potestatem habet quam verus parochus : rector principalis nonnisi habitu, non autem quoad exercitium, curam retinet. Ita pluries in Rota decisum fuit. Hinc rector principalis nequit ibi exercere curam fori pœnitentialis, nec invito vicario sacramenta administrare. (Rota 17 maii 1624.)

4° Vicarii perpetui ecclesiarum parochialium debent præcedere vicariis amovibilibus ecclesiæ cathedralis. (S. Cong. Rit. 16 sept. 1616.)

5° Nominatio vicarii temporalis ad nutum amovibilis spectat ad rectorem principalem monasterii cui beneficium est unitum. (S. Cong. ep. et reg. 29 apr. 1627.) Et episcopus solum debet illum approbare ac licentiam administrandi sacramenta ei concedere, si per examen vel aliunde constat esse idoneum. (Ead. Cong., 4 febr. 1586.)

6° Vicarius temporalis a rectoribus principalibus nominatus potest ab ipsis ad libitum removeri, non autem ab episcopo, nisi ex causa legitima (Rota 21 junii 1642), quod etiam intelligi debet de vicariis temporariis curæ animarum destinatis a capitulis, ut etiam declaravit Rota.

FINIS TERTII VOLUMINIS ET TOTIUS OPERIS.

INDEX RERUM

PARS TERTIA.

DE JUDICIIS.

TITULUS I.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

CAPUT III.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS II.

TITULUS II.

DISSERTATIO PRIMA.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

CAPUT III.

CAPUT IV.

DISSERTATIO II.

CAPUT PRIMUM.

ARTICULUS PRIMUS.

ARTICULUS II.

ARTICULUS III.

CAPUT II.

CAPUT III.

SECTIO SECUNDA.

DE EXTERNO ECCLESIÆ CATHOLICÆ STATU.

PARS PRIMA.

DE RELATIONE INTER ECCLESIAM CATHOLICAM ET CIVILEM SOCIETATEM.

TITULUS PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

TITULUS II.

TRACTATIO SPECIALIS.

DE HIERARCHIA DIŒCESANA.

IMPRIMATUR.

Pictavii, die 16 *julii* 1868.

SAMOYAULT,

VIC. GEN.

EXTRAIT DU CATALOGUE A PRIX NETS

COMMENTARIA

IN SCRIPTURAM SACRAM

CORNELII A LAPIDE

QUIBUS ACCEDUNT QUÆ IN CORNELIO DESUNT CORDERI COMMENTARIA IN LIBRUM JOB ET BELLARMINI EXPLANATIO IN PSALMOS

EDITIO NOVA ACCURATE EXPURGATA MENDIS QUÆ IN PRIOREM IRREPSERANT.

24 vol. in-4° à deux colonnes. — Prix : 180 fr.

En résumant les travaux de ses devanciers, en consultant avec soin les Pères de l'Église, Cornélius a écrit un vaste commentaire qui est resté jusqu'à nos jours le Guide du théologien et le Répertoire du prédicateur. On trouve dans son commentaire, à mesure que le texte sacré en fournit l'occasion, un exposé clair et profond du dogme catholique avec la réfutation des erreurs qui s'y rapportent, toutes les vérités morales et les devoirs de la vie chrétienne présentés

sous ce point de vue ferme et précis qui dénote un vrai théologien :

« Cornélius est par excellence l'interprète des prédicateurs. Il a réuni sur chaque passage de l'Écriture ce que les Pères ont dit de plus beau, de plus solide, de plus touchant. Ces trésors de l'érudition patristique, semés à profusion, forment une lecture aussi variée qu'attachante et instructive. Outre qu'ils donnent l'interprétation traditionnelle pour les passages dogmatiques, ils répandent sur tout le reste une foule de traits de lumières ; car qui a mieux compris la Bible que ces Pères et ces Docteurs qui l'ont scrutée toute leur vie avec le double flambeau de la science et de la sainteté?... L'exégèse catholique devra toujours puiser largement à ces sources d'eau vive, et c'est ce que Cornélius a fait plus que tout autre. Les prédicateurs surtout lui en ont su gré, car il leur offre la mine la plus précieuse, la plus abondante, la plus facile à exploiter. » (Revue des sciences ecclés., tom. v, p. 247.)

En parlant des commentateurs de l'Écriture, un professeur d'éloquence sacrée, M. Audisio, dit :

« Choisissons-en trois surtout : le premier est Cornélius à Lapide, si remarquable par sa vaste érudition et par le grand nombre et l'utilité des sens moraux, sens si abondants que souvent, dans l'interprétation d'un seul texte, il nous offre les matériaux d'un discours tout entier. » (Leçons d'éloquence sacrée, trad. par l'abbé Martigny, t. ii, p. 139.)

Qui ne sait que l'un des plus célèbres prédicateurs de notre époque a profondément étudié la Somme de

saint Thomas et les COMMENTAIRES de Cornélius, et qu'il en recommande l'étude dans toutes les retraites pastorales qu'il donne chaque année ?

Ajoutons, d'après d'autres témoignages, que Cornélius est le meilleur guide pour ceux qui veulent faire de l'Écriture sainte le sujet de leurs méditations et de leurs lectures spirituelles, car « le vieux maître de l'exégèse » a une science toute particulière des voies intérieures par lesquelles Dieu conduit les âmes à la perfection.

Depuis deux siècles, les sciences exégétiques ont fait de grands progrès. Cornélius ne pouvait devancer la marche des temps. A l'époque où il écrivait, la grammaire et la lexicographie sémitiques étaient dans l'enfance ; les contrées bibliques n'avaient point été explorées en tous sens, comme elles l'ont été depuis ; l'histoire, la géographie, l'archéologie, les littératures d'Orient n'avaient point révélé tous leurs mystères et livré tous leurs trésors. Aussi l'interprétation littérale ne pouvait-elle avoir toute la rigueur et toute l'exactitude qu'il est possible de lui donner aujourd'hui. Deux savants ecclésiastiques versés dans les langues orientales, parfaitement au courant des découvertes et des travaux les plus récents, se sont chargés de mettre le commentaire du dix-huitième siècle au niveau de l'exégèse actuelle. Des prolégomènes, des dissertations et de nombreuses notes répandues dans l'ouvrage analysent les plus savants commentaires qui ont paru dans les temps modernes en France et en Italie, en Allemagne et en Angleterre.

Cornélius, on le sait, n'a pas donné de commentaires sur le livre de Job ni sur les Psaumes. Le Job elucidatus du P. Corderus et les Explanationes in Psalmos de Bellarmin, commentaires savants, pieux, variés et abondants, ont fixé notre choix pour combler cette lacune. Comme pour les autres livres, nous les avons fait mettre au niveau de l'exégèse actuelle. Le commentaire de Bellarmin, sans parler de celui de Corderus, est augmenté d'un tiers par les versions et les notes qui l'accompagnent.

Ainsi améliorée, notre édition de Cornélius renferme au moins la matière de cinq volumes in-4° de plus que les éditions les plus estimées. Le clergé l'a accueillie favorablement; plus de dix mille exemplaires se sont placés en très-peu de temps.

Un beau livre invite par lui-même à l'étude : sa vue plaît; elle repose en quelque sorte. Une bonne impression, en facilitant le labeur du regard, facilite la tâche de l'intelligence. La mauvaise impression, en fatiguant la vue, dégoûte de la lecture des meilleurs ouvrages. Il va de soi qu'un livre qui doit être consulté, lu et étudié autant qu'un commentaire sur l'Écriture sainte, ne laisse rien à désirer sous le rapport typographique. Cette qualité de notre édition est sans doute pour quelque chose dans le succès qu'elle obtient.

MEMORIALE

BIBLICUM, HISTORICUM, THEOLOGICUM, ORATORIUM, COMMENTARIORUM CORNELLII A LAPIDE

IN SCRIPTURAM SACRAM SEU SYNOPSIS ANALYTICA OMNIUM RERUM QUÆ IN HISCE COMMENTARIIS ENUCLEANTUR

Auctore Jos. Max. PÉRONNE

Deux forts volumes format de CORNELIUS. — Prix : 24 fr.

Voici dans quels termes la *Revue du Monde catholique* (fév. 1864), dans un article reproduit par l'*Union* (27 fév. 1864), fait connaître l'utilité de cet ouvrage :

« Le commentaire de Corneille de Lapierre est tout ensemble, et la meilleure interprétation des Écritures et le répertoire le plus complet de l'enseignement théologique. Traitant chaque question sous le double point de vue de la théorie et de la pratique, il renferme tout, le dogme et la morale, le culte et les cérémonies religieuses, le droit canonique et la discipline, l'exégèse et l'herméneutique sacrée, la mystique, l'hagiographie, la philologie et l'archéologie, l'histoire et la philosophie, enfin la politique chrétienne et les sciences naturelles. Cette proposition n'a pas besoin de preuves; elle est incontestable et incontestée.

» Mais si l'ouvrage du savant commentateur renferme toutes les sciences ecclésiastiques, comment s'orienter dans ces régions immenses ? Comment découvrir, sans de longues recherches, les trésors cachés dans ce vaste domaine ? Comment trouver sûrement,

aisément, promptement, dans cette mine féconde, les matériaux dont on peut avoir besoin ? Par un moyen simple et facile : l'ouvrage dont on lisait le titre à l'instant même, le *Mémorial biblique, historique*, *théologique* et *oratoire,* rassemble les matières sous des points de vue restreints ; il les classe par groupes, d'après la connexité logique des matières, et les présente dans l'ordre alphabétique. A l'aide du *Memoriale*, le prédicateur trouvera à première vue dans Corneille de Lapierre, non-seulement l'idée fondamentale de mille instructions religieuses, mais le plan, la division, les preuves, les autorités, les témoignages, tous les développements qui peuvent donner la force et la beauté à un discours ; à l'aide du *Memoriale*, le prêtre trouvera, comme sous la main, tous les matériaux nécessaires pour les conférences ecclésiastiques ; le théologien, toutes les discussions désirables ; et l'homme pieux, le sujet des méditations les plus édifiantes. »

AURIFODINA UNIVERSALIS

SCIENTIARUM DIVINARUM ATQUE HUMANARUM EX FONTIBUS AUREIS SANCTORUM PATRUM, CONCILIORUM, DOCTORUM NECNON PAGANORUM, FERE DUCENTORUM, TAM IN THEOLOGIA QUAM IN PHILOSOPHIA, PER SENTENTIAS PLUSQUAM OCTOGINTA MILLIA SUB TITULIS SEPTINGENTIS ET ULTRA, ORDINE ALPHABETICO DIGESTARUM, RELIGIOSIS ET SECULARIBUS, MAXIMEQUE CONCIONATORIBUS, ORATORIBUS, JURISPERITIS, ALIISQUE OMNIBUS STUDIOSIS UTILISSIMA, A V.-P. ROBERTO, CAMERACENCI CAPUCINO, PROVINCIÆ GALLO-BELGICÆ.

4 volumes in-4° à deux colonnes, papier vélin satiné.
Prix : 28 fr.

« Cet ouvrage, disent les théologiens de l'Ordre des » Capucins dans leur approbation, n'est pas appelé » sans raison *Mine d'or ;* on y trouve une abondante » mine de doctrine spéculative, pratique et mystique. » C'est un jardin dans lequel brillent des milliers de » fleurs odorantes, où les abeilles trouveront toujours » une riche moisson de cire et de miel. C'est un arsenal rempli d'armes célestes avec lesquelles on » transperce les erreurs des hérétiques, on pénètre » les illusions du démon, on détruit les faux raisonnements, les mauvaises opinions et les maximes » perverses du monde. C'est le fondement de toutes » les vertus : la prudence y est réglée, la justice affermie, la force encouragée, la tempérance mise à » l'abri de la cupidité, la foi vivifiée, l'espérance excitée, la charité enflammée. »

Ces louanges sont-elles exagérées? Nous répondrons, avec toute certitude : Non. Le livre auquel elles sont décernées est un de ces rares trésors que la révolution nous avait fait perdre de vue, mais qui n'en sera maintenant que plus apprécié.

L'Aurifodina est un répertoire d'environ cent mille textes distribués sous huit cent titres et choisis dans cent cinquante-neuf auteurs chrétiens, dans les Actes de dix conciles et dans vingt-six auteurs païens. C'est un monument d'érudition sur lequel il suffit de jeter les yeux pendant quelques instants pour pouvoir écrire et parler savamment sur l'un des huit cents sujets qui y sont traités. On comprend de suite l'utilité d'une pareille œuvre pour le prédicateur.

Un simple aperçu démontrera mieux cette utilité. Prenons à la lettre *S* le titre de Superbia. L'auteur divise ce traité en six parties : Etymologia, Definitio, Descriptio, Productio, Comparatio, Indicia, puis, sous l'indication générale de Sententiæ Patrum, il rapporte les textes qui sont relatifs au sujet, sans rentrer spécialement dans l'une ou l'autre de ces six divisions. — Un texte de S. Antoine de Padoue et un de S. Isidore établissent l'*étymologie* du mot Superbia; S. Anselme, S. Bonaventure, Hugues de Saint-Victor, S. Thomas d'Aquin *définissent* ce vice; S. Jean Climaque, S. Maxime et S. Nil en font la *description;* S. Ambroise, S. Augustin, S. Bonaventure et huit autres Pères traitent de la quatrième partie : Productio. Les deux autres divisions sont exposées d'une manière semblable. Ensuite nous avons, sous l'indication

de Sententiæ Patrum, 196 textes de 39 Pères dont les noms sont en marge par ordre alphabétique. Et enfin, pour les auteurs païens, nous trouvons Aristote.

Dans tout l'ouvrage, ce sont les Pères et les Docteurs qui parlent. Le Père Robert n'a fait que recueillir les paroles, établir les divisions, coordonner les matières. Tous les textes sont disposés et numérotés comme les versets de la Bible. Les noms des Pères et des Docteurs sont en marge par ordre alphabétique, en sorte que le prédicateur qui voudrait citer plus particulièrement un Père cherchera d'abord à la marge. Il trouvera de suite le nom du Père qu'il désire citer, et à côté, à la suite des uns les autres, il verra tous les textes de ce Père relatifs au sujet qu'il veut traiter.

HISTOIRE GÉNÉRALE DE L'ÉGLISE

DEPUIS LA CRÉATION JUSQU'A NOS JOURS

Par M. l'abbé J.-E. DARRAS

VICAIRE GÉNÉRAL D'AJACCIO

Environ 20 vol. in-8o de 600 pages, sur papier vélin satiné.
Prix : 5 fr. le volume.

Cet ouvrage est à son onzième volume, et déjà plus de dix mille exemplaires se trouvent placés dans les bibliothèques ecclésiastiques.

On n'est pas surpris d'un pareil succès lorsqu'on a lu ce livre. L'auteur a compris que de notre temps les attaques des incrédules, des rationalistes, des impies, contre la Bible et les institutions catholiques, imposent à l'historien un nouveau devoir. Aussi s'est-il décidé au combat, et son Histoire est-elle profondément militante. Fidèle au plan qu'il s'est tracé dans la préface du premier volume, il défend constamment d'une main l'édifice du passé, qu'il cherche à reconstruire de l'autre. Certes, il lui eût été bien plus facile de « retrancher d'une telle œuvre les dissertations et les discussions de la critique, » comme le voulait Fleury. Mais dans un siècle où tout est travesti, dénaturé dans les détails et dans l'ensemble de l'histoire ecclésiastique, où l'Eglise ne peut plus s'affirmer qu'en écartant d'abord les obstacles entassés sur sa route avec une ardeur acharnée et persévérante, est-il possible à

un historien catholique de se renfermer dans le simple exposé des faits et des situations? Le côté militant d'une telle œuvre n'est pas le fait de l'historien; il lui est imposé par les tendances intellectuelles de notre époque; c'est la conséquence nécessaire de la cause qu'il défend; et, loin d'être un défaut, il est une qualité essentielle pour toute bonne Histoire ecclésiastique au dix-neuvième siècle.

A quel travail un historien catholique n'est-il pas obligé de se livrer! Que de livres et de documents précieux et récents ne doit-il pas consulter! « Je suis à me demander constamment, écrivait Mgr l'évêque d'Ajaccio à M. Darras, comment vous avez pu rassembler, coordonner et fondre en un tout si harmonieux tant de matériaux divers. » « Un des grands mérites de cette Histoire, disait tout dernièrement, dans le *Monde*, le savant abbé Péronne, c'est le soin scrupuleux que M. Darras met à consulter les ouvrages les plus autorisés. Les découvertes les plus récentes, les monuments que les recherches de la science découvrent chaque jour, tout vient, sous sa plume, payer tribut à la vérité de l'histoire. Aucune question archéologique à laquelle peut se rattacher quelque intérêt n'est omise... » — Cette qualité, que signale le savant critique, a été remarquée par tous les lecteurs, dès l'apparition du premier volume. « Je viens de ter-
» miner la lecture des six jours de la création dans
» M. Darras, nous écrivait-on du séminaire d'Angers,
» en lui comparant jour par jour l'auteur que nous li-
» sions auparavant. Je dois, selon votre désir, vous dire

» mes impressions et celles de mes confrères qui,
» comme moi, en ont pris connaissance.

» Voici, en deux mots, ce que nous en pensons tous
» au séminaire. D'un style infiniment supérieur...,
» l'HISTOIRE DE L'ÉGLISE de M. Darras a encore l'a-
» vantage d'être beaucoup plus complète au point de
» vue de la science. Notre auteur se contentait de nous
» faire assister au magnifique spectacle de la créa-
» tion ; il nous en faisait bien voir, admirer, sentir les
» beautés, mais c'était tout. Avec M. Darras, nous
» avons cela et plus que cela; tout y est éclairci, dis-
» cuté, traité sous la conduite des grands maîtres
» Nous aimons à le voir prendre à partie les incré-
» dules, les rationalistes de notre époque, et con-
» fondre leur mauvaise foi.

» De plus, M. Darras ne craint pas, comme ses de-
» vanciers, de s'aventurer dans le domaine des sciences
» physiques et naturelles. Les découvertes des sciences
» sont toutes consignées, et nous sommes sûrs de n'être
» pas induits en erreur quand nous lisons au bas de la
» citation des noms comme Cuvier, Laplace, Ber-
» nouilli, MM. Marcelle de Serres, Quatrefages, De-
» jean, etc., etc. »

Nous voudrions rapporter tous les témoignages de sympathie dont cette *Histoire* a été l'objet; mais ce détail serait trop long. Qu'il nous suffise de dire que tous sont des plus élogieux, et que nous en avons reçu de toutes les parties de la France, soit de Nos Seigneurs les Évêques, soit des professeurs de séminaires et d'autres savants des plus distingués. Les

organes les plus accrédités de l'opinion publique ont donné sur cette *Histoire* des études très-détaillées où ils en ont fait ressortir tout le mérite. Nous citerons seulement *le Monde*, du 25 juin 1862, 6 janvier 1863, 16 juillet 1863; — *la Bibliographie cath.*, déc. 1862, art. de M. l'abbé Blampignon ; — *les Annales de Philosophie* de M. Bonetty, déc. 1862 ; *les Archives théol.*, juin 1862, janv., fév., mars 1863, etc., etc.

Nous ne rappellerons plus ici que les dernières paroles du savant critique du *Monde*, n° du 25 juillet dernier : « L'incrédulité, le naturalisme, le rationalisme, le demi-savoir sont donc battus sur tous les points dans cette magnifique *Histoire*, et la vérité sort plus triomphante, plus radieuse, de toutes leurs attaques réunies... Nous ne craignons pas d'être faux prophète en prédisant à M. l'abbé Darras de nouveaux succès et de nouvelles victoires. D'ailleurs il a déjà fait ses preuves et il a recueilli les plus éminents suffrages et les éloges unanimes de tous les vrais amis de la religion et de la science. »

dans le MONDE (25 octobre 1861), notre édition : « Le Commentaire du docteur d'Allioli, ainsi augmenté et complété, nous paraît appelé à prendre place dans toutes les bibliothèques ecclésiastiques. Disons-le hautement, ce Commentaire laisse loin derrière lui la BIBLE dite de MENOCHIUS ET DE CARRIÈRES... C'est comme le « *Codex juris divini,* » qu'il faut toujours avoir sous la main, soit pour trouver le sens exact et fidèle d'un texte ou d'une citation, soit pour éclairer, sur-le-champ et sans travail, une de ces mille difficultés que le texte incompris des Écritures soulève à chaque page. Ce ne sont point ici des dissertations qui effrayent par leur étendue le commun des lecteurs ; ce sont des traits de lumière, c'est-à-dire des réponses nettes, précises, logiquement coordonnées, et dont chacune renferme de plus des principes de solutions pour les questions les plus difficiles à résoudre. »

Nous ne rapportons pas ici, faute d'espace, les approbations très-flatteuses des évêques français ; on les trouvera en tête du premier volume, avec celles des évêques d'Allemagne, à la suite de la haute approbation du Saint-Siége.

Catéchisme dogmatique et moral, par *J. Couturier*, 10e édition. 2 beaux volumes in-8°, sur papier vergé. 8 fr.

Catéchisme, ou Recueil complet d'explications, de notices, de comparaisons et d'exemples pour l'explication et le développement de toute espèce de catéchisme, par *J.-Ew. Schmid*, catéchiste à l'Ecole supérieure des Ursulines de Saltzbourg ; traduit de l'allemand par M. l'abbé *Bélet*. 7e édition, 8 volumes in-12. 20 fr.

Conférences sur la Passion de N.-S. Jésus-Christ, par le *P. Ventura;* trad. par l'abbé *Ducruet*. 2 vol. in-8°. 9 fr.

Conférences sur les grandeurs de la sainte Vierge, par le *P. d'Argentan*. 2 vol. form. Charp. 4 fr. 50

Cornelii a Lapide in Evangelia Commentaria. Editio nova, notis juxta recentiorem scientiam illustrata. 2 vol. in-4°. 20 fr.

De Sacratissima Verbi divini Incarnatione compendium, auct. *P. Dion*. 1 vol. in-12. 1 fr. 50.

Du Sacerdoce et du saint Ministère par les Pères de l'Eglise; ou Morceaux les plus remarquables des écrivains ecclésiastiques sur les vertus et les fonctions sacerdotales, traduits et mis en ordre par un directeur de séminaire. 1 vol. in-12. 3 fr.

Dogmata theologica *Lud. Thomassini*, cong. Oratorii presbyt. Editio nova in qua textus ipse auctoris fuit recognitus, et cuncta loca, tam SS. Patrum, quam variorum scriptorum, fuerunt innumeris mendis expurgata, et, quando opportunum visum est, adnotationibus illustrata, opera et studio *P.-F. Ecalle*, in sem. Trecensi sacræ theologiæ prof. 6 vol. in-4°, papier vergé à la colle animale. 80 fr.

Dogmata theologica *Dyon. Petavii*, e soc. Jesu. Editio nova dissertationibus ac notis *F. Ant. Zachariæ*, aliorumque, necnon *Adr. Leclerc* selectis notis, aliisque nonnullis nunc primum editis illustrata et ornata, cui accessit index generalis tum verborum, tum rerum locupl., nunc primum in lucem editus, curante

J.-B. Fournials, can. Albiensi. 8 vol. in-4°, papier vergé à la colle animale. 100 fr.

Papier vélin satiné. 80 fr.

Epitres et Evangiles des dimanches, des jours de fêtes et fériés de toute l'année, avec des réflexions, par l'abbé *Gimarey*. 2 vol. in-12. 6 fr.

Eusèbe, ou la Civilité du jeune prêtre, par un ancien supérieur du grand séminaire. 1 vol. in-12. 2 fr. 50

Explications des Evangiles, par le cardinal *de la Luzerne*, 1 fort vol. in-8°. 4 fr.

Guide ascétique, ou Conduite de l'âme par les voies ordinaires de la grâce à la perfection chrétienne, par le P. Scaramelli, de la Soc. de J.; suivi de deux plans de sermons pour les dimanches et fêtes de l'année, par Tangl, trad. par l'abbé Pascal. 4e édit., 4 vol. in-8°. 15 fr.

GRAND CATÉCHISME

OU

Exposition sommaire de la Doctrine chrétienne appuyée sur les témoignages de l'Ecriture et des Pères, par le R. P. CANISIUS, de la compagnie de Jésus. Ouvrage traduit et annoté par l'abbé PELTIER, et renfermant le texte latin.

TROISIÈME ÉDITION.

Augmentée d'une table générale des matières et d'une théorie de la Foi.

7 volumes in-8°. — Prix : 28 fr.

Histoire de Jésus-Christ; trad. littérale et mise en ordre des textes contemporains, avec notes, par *M. Foisset*. 4e édit. 1 vol. in-8°, papier vélin glacé. 5 fr.

Histoire de N.-S. Jésus-Christ, Exposition des saints Evangiles, par *M. Darras*. 2 vol. in-8°. 8 fr.

Cet ouvrage, nous écrivait Mgr de Quimper, ne restera point dans vos magasins, parce que, depuis la première page jusqu'à la dernière, on y trouve les qualités voulues pour une lecture d'érudition, de piété et même d'agrément. Les faits évangéliques y sont toujours présentés dans les paroles mêmes du texte sacré; les explications des Pères de l'Eglise, les renseignements tirés des auteurs profanes, la connaissance approfondie des événements historiques et des institutions contemporaines, répandent une telle lumière sur l'ensemble du récit, que d'une seule expression, d'un seul mot, on voit souvent jaillir non-seulement l'authenticité de la narration divine, mais encore des preuves claires et saisissantes.

Histoire de saint François de Sales, par *Ch.-Aug. de Sales*. Nouvelle édition, 2 vol. in-8°. 8 fr.

Histoire de saint Thomas d'Aquin, par M. l'abbé *Bareille.* 1 vol. in-8°, papier vélin glacé. 5 fr.

Histoire des Mystères et des fêtes de N.-S. Jésus-Christ et de sa sainte Mère, par le pape *Benoît XIV;* trad. par l'abbé *Pascal.* 2 vol. in-8°. 8 fr.

Histoire générale de l'Eglise, depuis le commencement de l'ère chrétienne jusqu'à nos jours, par l'abbé *J.-E. Darras.* Ouvrage approuvé par plusieurs évêques. 7e édition, 4 beaux vol. in-8°. 18 fr.

Histoire générale des auteurs sacrés et ecclésiastiques, contenant leur vie, le catalogue, le jugement, la chronologie, l'analyse et le dénombrement des différentes éditions de leurs ouvrages; ce qu'ils renferment de plus intéressant sur le dogme, sur la morale et sur la discipline de l'Eglise, l'histoire des conciles, tant généraux que particuliers, et les actes choisis des martyrs, par le R. P. Dom *Remy Ceillier.* Nouvelle édition, soigneusement revue, corrigée, complétée et terminée par une table générale des matières, par *M. Bauzon.* 17 vol. in-4°. 136 fr.

Homélies pour les dimanches et fêtes de l'année, par *de La Chétardie.* 3 vol. in-8°. 8 fr.

Jus canonicum universum complectens tractatum de Regulis Juris, auctore R. P. *F. Anacleto Reiffenstuel*, Ord. Min. reform.; juxta novissimam Ro-

manam editionem, innumeris expurgatis mendis, recusum, cui nunc primum accedunt variæ adnotationes pro quarumdam quæstionum uberiori enodatione, attenta rerum conditione præsenti, digestæ studio et opera *R. D. V. Pelletier*, can. Aurelianensis. 6 vol. in-4°, papier vergé à la colle animale. 72 fr.

Liber precum in quo variæ et multæ egregiæ preces ex operibus sanctorum Patrum desumptæ continentur ad usum cleri tum regularis, tum secularis. 2 vol. in-8°. 8 fr.

— 2 vol. in-12. 6 fr.

Marie mère de Dieu et mère des hommes, ou Explication du mystère de la sainte Vierge au pied de la Croix, par le R. P. Ventura ; trad. par *L. Rupert*. 3e édit. 1 vol. in-8°. 4 fr.

— 1 vol. in-12. 2 fr. 50

Méditations à l'usage du clergé pour chaque jour de l'année, par *Mgr Scotti;* trad. de l'italien par M. l'abbé *Duclos*. 4 vol. in-12. 6 fr.

Méditations sur les principaux mystères de la foi, pouvant servir d'instructions religieuses aux pasteurs des âmes et de lectures pieuses aux simples fidèles, par le *P. Kroust;* trad. du latin par Mgr *Sergent*. 3e édit. 4 beaux vol. in-12, pap. vél. satiné. 10 fr.

Missionnaire paroissial, par *Chevassu.* 4 volumes in-12. 6 fr.

Opuscules théologiques et philosophiques de saint *Thomas d'Aquin*, traduits, avec le texte latin, par *M. Bandel*, chanoine de Limoges, *MM. Védrine* et *Fournet*, prêtres du même diocèse. 7 vol. in-8°. 35 fr.

Œuvres spirituelles complètes de *S. Bonaventure*, traduites par l'abbé *Berthaumier*, 6 vol. in-8°. 25 fr.

Œuvres complètes de *Bossuet*, publiées d'après les imprimés et les manuscrits originaux, purgées des interpolations et rendues à leur intégrité par *F. Lachat*, édition renfermant tous les ouvrages édités et plusieurs inédits, avec le portrait de Bossuet et un *facsimile* de son écriture. 31 vol. in-8°, papier vergé à la colle animale. 200 fr.

— Papier ordinaire. 120 fr.

Œuvres de *Fénelon.* 8 forts vol., renfermant la matière de 20 vol. in-8° ordinaires. 28 fr.

Œuvres complètes de M. *de Bonald*, 7 vol. in-8°. 25 fr.

Œuvres de *Tertullien*, trad. par M. *de Genoude*, 2e édit. 3 vol. in-8°. 12 fr.

Œuvres complètes de *Louis de Grenade*, traduites intégralement pour la première fois en français par

MM. *Bareille*, *T. Duval*, *A. Crampon*, *J. Boucher* et *C. Berton*. 21 vol. in-8° de 600 pages, papier vergé anglais à la colle animale. 140 fr.

Œuvres complètes de *saint Jean Chrysostome*, traduites intégralement du grec en français par l'abbé *Bareille :*

— *Traduction française*, *avec le texte en regard.* 20 vol. in-4°, papier vergé anglais à la colle animale. 320 fr.

— *Traduction française* seulement. 20 vol. in-8°, papier vélin satiné. 100 fr.

— *Traduction française* seulement, 10 vol. in-4°, papier vélin satiné. 60 fr.

Œuvres complètes de *saint François de Sales*, publiées d'après les manuscrits et les éditions les plus correctes, avec un grand nombre de pièces inédites ; précédées de sa vie par M. de Sales, et ornées de son portrait et d'un *fac-simile* de son écriture. 4e édition. 14 beaux vol. in-8°, pap. vél. sat. 70 fr.

Prima Scientiarum principia, seu Philosophia catholica juxta divum Thomam ejusque interpretatores, respectu habito ad hodiernam disciplinarum rationem, auctore *Rosset*, presbytero, philosophiæ prof. in maj. sem. Camberiensi. 2 vol. in-12. 6 fr.

Rational, ou Manuel des divins offices, de Guillaume *Durand*, évêque de Mende au XIIIe siècle, ou

Raisons mystiques et historiques de la Liturgie catholique ; trad. par M. C. *Barthélemy*, suivi d'un grand nombre de notes. 5 beaux vol. in-8°. 20 fr.

Sancti Bonaventuræ Opera omnia, Sixti V, pontificis max., jussu diligentissime emendata cum indice alphabetico rerum et verborum locupletissimo, cui accedit vita sancti Doctoris. — Editio accurate recognita, ad puram et veriorem testimoniorum biblicorum emendationem denuo reducta cura et studio *A.-C. Peltier*. 14 vol. in-4°, papier vergé à la colle animale. 160 fr.

Sermons du cardinal *Bellarmin*, trad. en français par *E. Berton*. 4 vol. in-8°. 15 fr.

— *Les mêmes*, 4 vol. in-12. 10 fr.

Sermons de l'abbé *Herblot*, vicaire général et prédicateur de la cathédrale de Reims. 3e édit.,3 vol.in-8°, papier vélin satiné. 12 fr.

Somme philosophique de *S. Thomas d'Aquin*, traduite par l'abbé *Ecalle*. Edition renfermant le texte latin et de nombreuses notes du traducteur. 3 vol. in-8°. 15 fr.

Somme théologique de *S. Thomas d'Aquin*, traduite en français et annotée par *F. Lachat;* renfermant le texte latin avec les meilleurs commentaires. 2e édition, 16 vol. in-8°. 80 fr.

Souvenirs du chanoine *Schmid*, trad. par l'abbé *Belet*. 2 vol. in-8°. 7 fr.

— 2 vol. in-12. 4 fr. 50

Suarez (S.-J.) Opera omnia. 28 vol. in-4° à 2 colonnes, reproduction des 23 vol. in-folio de l'édition de Venise, papier vélin satiné, caractères neufs fondus exprès. 28 vol. in-4. 300 fr.

Summa theologica *S. Thomæ Aquinatis*. Editio nova *aucta indice sexto nempe Philosophorum*. 9 vol. in-18. 24 fr.

Notre édition est la seule qui contienne ce sixième *Index* indiquant les solutions que donne saint Thomas sur les principaux points de la Théologie et de la Philosophie qui sont encore controversés de nos jours. Elle renferme en outre de nombreuses notes prises surtout dans l'édition du P. Nicolaï.

Theologia universa *Thomæ ex Chames*, quoad partem dogmaticam adaucta annotationibus et additionibus, nec non Tractatu de divina ac supernaturali revelatione ; quoad partem moralem ad sententias Ligorianas funditus reducta, Opera *J.-A. Albrand*, superioris seminarii Pariensis Missionum ad Exteros. Ad usum sacræ theologiæ candidatorum. Secunda editio a Romanis censoribus approbata. 8 vol. format Charpentier. 22 fr.

Theologia moralis *Claudii Lacroix*, seu ejusdem in H. Busembaum Medullam Commentaria a Zacharia, S. J., elucidata atque vindicata. Editio nova, quam illustravit notis et locupletavit decisionibus Romæ latis usque ad celeberrimam Pii Noni Encyclicam, *P. Dion*, olim sacræ theologiæ professor auctorque operis cui titulus : *De Sacratissima Verbi divini Incarnatione*, etc. — 4 vol. in-4°, caractères neufs fondus exprès. 30 fr.

Théologie dogmatique. Cours complet, par le R. P. Perrone, trad. en français, par MM. Bandel, Védrine et Fournet. Édition augmentée du Traité de l'Immaculée Conception. 6 vol. in-8°. 26 fr.

Vies des saints, par le R. P. *Ribadeneira*, traduction française revue et augmentée de la vie des Saints et des Bienheureux nouveaux, des fêtes de Notre-Seigneur, et de l'histoire des Saints de l'Ancien Testament, par l'abbé *Darras*. 4e édition, revue, corrigée et augmentée d'une table analytique à l'usage des prédicateurs et des catéchistes. 13 vol. in-8°, papier vélin satiné. 50 fr.

Vies des Pères des déserts d'Orient, leur doctrine spirituelle et leur discipline monastique, par le Père Michel-Ange *Marin*, avec introduction, notes et éclaircissements historiques par M. *E. Veuillot.*

6 beaux vol. in-8° ornés de 70 gravures par M. *Céroni.*
35 fr.

Vies des saints pour tous les jours de l'année, par le R. P. *Ribadeneira*. Extrait populaire. 1 fort vol. in-4°, contenant la matière de 6 vol. in-8°. 12 fr.

Poitiers.—Typ A Dupré